

... ad ...
... **Oratio** ...
... omnis deus, ut q
... paschalis ...
...
... **Nota qd** ...
... usq ad ascensionē dñi
... diebus scda collecta
... rone discenda est
... que in scā die dicta
... diebus dicat et
... tris paschalis
... e p totā ebdo modam
... nisi festa scōy impedi
... tūc tertiū locū obtine

Salica Junis
Harbarthii & phthoric
Cec. Ordo y Milone.



y. 0. 5.

M. TVLLII

CICERONIS
PRO T. ANNIO

MILONE ORA-
TIO

*Nunc recens in lucem edita, mul-
tis librariorum mendis sub-
latis.*



16

OF

LIPSIÆ,

Imprimebat Valentin Am Ende.



A R G V M E N T V M O R A T I -
onis Milonianaë per Reinhardum
Lorichium Hadamarium.

B Is senos fasces optante Milone, curulem
Ambivit sellam Clodius arte pari.
Qui se prætura minus, ut speravit, abuti
Posse videns, summas hoste gerente vices,
Æmula diverse patris conamina iuvat,
Ut voti fieret compos: at ille nihil.
Vnde vetas, punctum velut ense, recruduit ulcus
Petra simultatis fluxit & ira nova.
Rura peragranti curru Lavina Miloni,
Occurrit vectus Clodius acer equo.
Hos inter medios venit furor, ille peremit
Fortior hunc, miseris conficiendo modis,
Impositum rheda lugubre cadaver, in urbem
Portatum, varij causa tremoris erat.
Fulvia quò conjunx augetet crimina, cæsi
In rostris posuit membra videnda viri.
Partibus adversis in jus homicida vocatus,
Non negat, illatam jure sed esse necem.
Dulciloquus causam Cicero Patronus honestam
Tutando, pepulit tristia fata rei.



IN

I.

IN ORATIONEM

M. T. CICERONIS PRO
Milone dispositio.



Ratio pro Milone est generis
judicialis. Status est Jure judicialis:
quæritur enim de jure. Est igitur
hæc propositio principalis hujus
orationis, & status totius negotij:
Milo jure interfecit Clodium. Principalis Syl-
logismus hujus causæ est. Vim vi repellere li-
cet: Milo vim à Clodio illatam vi depulit: I-
gitur Milo jure interfecit Clodium. Major eū
sit manifesta, præsertim si auditor sit admo-
nitus de genere, videlicet, quòd sit lex naturæ,
non habet opus probatione. Itaq; Cicero non
tam probat quam ornat eam, seq; ad locum
communem refert de lege naturæ. Minor est
πρωτόμυρον in hac disputatione, ideo maxima
pars orationis in ea consumitur, & pertinet
minor ad statum conjecturalem: quia est fa-
cti quæstio, uter alteri insidiatus sit. Cùm autē
duo sint in summa loci status conjecturalis,
voluntas & facultas, sumit Cicero argumen-
ta, primùm à volūtate utriusq; deinde à facul-
tate: quibus fidem facit, Clodium insidias fe-
cisse Miloni. Longum fuerit hîc recensere sin-
gula argumenta, sed monstrabimus ea, & di-
stribuemus suis locis. Tantùm memineris, si
quod in singulis causis facere necesse est, statū

N

A 2

princi-

ΕΧΟΡΔΙΟΝ.

principalem, seu propositionem principalem negocij: Milo jure occidit Clodium, deinde κρινόμενον Clodius insidiatus est Miloni: nam hæc duo in qualibet disputatione, status & κρινόμενον præcipuè requiri debent. Causa acta est magno tumultu, quia Clodij factio potens erat, & Milonem atrociter poscebat ad poenam. Quare & Senatus consultum factum est, quod valde prægravabat Milonem. Nam ejusmodi Senatusconsultum non fiebat, nisi in periculosissimis seditionibus. De his præjudicijs queritur Cicero, quæ suo loco exponemus.

Constat tribus locis, querela, adhortatione, & correctione: in qua breviter indicat, quo argumento defensurus sit Milonem, propterea quod id, cum esset æquissimum, in primis valuit, ut æquo animo audirent eum judices. Querela autem infra fuit: quia Pompejus tanquam in re atrocissima delectus habuerat, cohortes armatas disposuerat in foro, cum exerceretur judicium. Itaque amici Milonis metu armorum deterriti minus liberè pro eo niti aut suffragari poterant. Ideo Cicero ab hac querela orditur: sed prudenter tamen addit inversionem, quo consilio forum septum sit armatis, & ut judices confirmet, & ne Pompejum nimium offendat.

IN

IN M. TULLII CICERONIS
PRO T. ANNIO MILONE ORA-
tionem, Bartholomæi Latomi
Argumentum.

ITus Annius Milo, & P. Clodius
accerrimi inimici erant, studebatq; Milo
optimatibus, Clodius autem princeps popu-
larium factionum, cum expulisset in tri-
bunatu suo Ciceronem, multa in Repub. per vim &
contra voluntatem bonorum moliebatur. Ceterum in
eundem annum consulatum petebat Milo, & pratu-
ram Clodius, qui ut liberum annum ad gerendam
praturam haberet, non Consule Milone, studebat cō-
petitoribus ejus summo conatu: qua contentione fa-
ctum est, ut comitia ante finem ejus anni perfici non
possent. Interim forte Miloni iter erat Lanuvium, ad
solennem & necessarium diem obeundum. Obviam sit
ei in via ante fundum suum Clodius, cum delecta ser-
vorum manu, armatus, & expeditus in equo. Milo
autem cum vxore & familia rheda vehebatur, sequen-
te servorum agmine. Inter hos forte cum pugna cō-
missa esset, seq; temerè intulisset Clodius, vulneratus
est ab uno gladiatorum Milonis, & graviter saucius
à suis exceptus est, & in proximam tabernam dela-
tus. Milonis jussu taberna expugnatur, & latens
extractus Clodius multis vulneribus conficitur. Ca-
daver in via relictum, cum Senator quidam rure re-
vertens in urbem pervenisset, ibi magna lamentatione
Clodianorum exceptum est: ac primo in atrio domus
positum,

ARGUMENTUM.

positum, deinde perlatum in forum & in curiam, dice-
 ce Sexto Clodio scriba, atq; inibi crematum: ex quo
 igne curia quoq; conflagravit. Milo interim cum ad
 declinandam invidiam extra urbem moraretur, esset-
 q; fama, eum iturum in voluntarium exilium, recrea-
 tus postero die in urbem redijt: petebatq; nihilominus
 consulatum, aperta etiam largitione in plebem facta.
 Itaq; Senatus cum videret finem nullum certaminum
 fore, jamq; antea mandasset Rempub. Cn. Pompejo,
 Procos. & interregibus qui finito jam annu alij ex a-
 lijs creabantur, ratus id optimum fore ad Sedandos
 tumultus, Pompejum sine collega Cos. creandum cen-
 set: facitq; S. C. ut primo quoq; tempore comitia ha-
 beantur, & ut quaratur extra ordinem de cæde in
 Appia via facta contra Rempublicam, & in judicium
 novi iudices eligantur. Quo S. C. proposito Cos. cre-
 atus Pompejus iudicium decernit ex Senatus senten-
 tia, quaesitorem ex veteribus Cos. iudices extra or-
 dinem elegit, dieq; iudicij constituta, disponit in foro
 armatos milites: ipse cum praesidio ad ararium prae-
 det: quæ res sanè & invidiam Miloni, & terrorem ju-
 dicibus adferebat. Cæterum causam egit Cicero, sed
 timide exceptus clamore adversariorum: idq; brevio-
 re oratione, quam à se visam testatur Fabius, & ora-
 tiunculam appellat. Hanc autem quam legimus,
 scribunt ita perfectam (ut Asconius inquit) ut jure pri-
 ma habeatur. Damnatus fuit reus, & Massiliam in e-
 xilium abiit. Ad quam rem hoc ei etiam contulisse
 Plutarchus est auctor, quod præter morem reorum

nes

ARGUMENTUM.

nec habitum in iudicio nec vultum mutaverit. Status orationis Iuredicialis est: Occidisti. Iure occidi: An iure occiderit. Ratio. Insidiator enim fuit. Infirmatio. Non ille, sed tu fecisti. Conjectura: Vter fuerit. Sunt & aliae infirmationes ex legis Senatus & Pompeij præjudicijs. Vnde & totidem iudicationes, sed hæc principalis: An cum insidiator fuerit Clodius, sit iure occisus. Deinde accessoria: An lex vetet ullo tempore hominem indamnatum interfici. Item quid Senatus, quid Pompejus statuerunt. Prima iuredicialis est ex relatione criminis, & conjecturam continet. Reliquæ tres ex scripto & sententia. Tractantur priore loco præjudicia, deinde conjectura inducitur post narrationem. Post hanc comparatio criminis ad firmandam defensionem, ex Republica fuisse, occidi Clodium. Postremo declaratio in peroratione, quæ magno adfectu ac vehementia tractatur. Partes orationis sunt: Exordium, refutatio, narratio, confirmatio, peroratio. Nam propositio subiecta exordio, adiutum facit ad refutationem.



A 4

PRO

PRO T. ANNIO
MILONE, M. TVLLII
Ciceronis Oratio.



Si vereor iudices, ne turpe
sit pro fortissimo viro dicere inci-
ipientem, timere: minimeq; dece-
at, cum T. Annius Milo ipse magis
de Reipublice salute, quam de sua
perturbetur, me ad ejus causam parem animi
magnitudinem adferre non posse: tamen hæc
novi iudicij nova forma terret oculos, qui
quocunque inciderint, veterem consuetudi-
nem fori, & pristinum morem iudiciorum re-
quirunt.

Non enim corona confessus vester cinctus
est, ut solebat: non usitata frequentia stipati
sumus. Nam illa præsidia, quæ pro templis o-
mnib. cernitis, etsi contra vim collocata sunt,
non adferunt tamen oratori aliquid, ut in fo-
ro & in iudicio, quanquam præsidijs salutari-
bus & necessarijs septi sumus, ne non timere
quidem sine aliquo timore possimus. Quæ si
opposita Miloni putarem, cederem tempori
iudices, nec inter tantam vim armorum existi-
marem oratori locum esse. Sed me recreat &
reficit Cn. Pompeij sapientissimi & justissimi
viri consiliû, qui profectò nec justiciæ suæ pu-
taret esse, quem reum sententijs iudicium tra-
didisset, eundem telis militum dedere: nec sa-
pient-

MARC. TUL. CICER.

pienſiæ, temeritatẽ concitatae multitudinis
 autoritate publica armare. Quamobrem illa
 arma, centuriones, cohortes, non periculum
 nobis denunciant, ſed præſidium: neq; ſolum
 ut quieto, ſed etiam ut magno animo ſimus,
 hortantur: neque auxilium modò defenſioni
 meæ, verum etiam ſilentium pollicentur. Re-
 liqua verò multitudo, quæ quidem eſt civium,
 tota noſtra eſt, neq; eorum quiſquam, quos
 undiq; intuentes ex hoc ipſo loco cernitiſ, un-
 de aliqua pars fori aſpici poteſt, & hujus exi-
 tium judicij expectantes, non cum virtuti Mi-
 lonis favet, tum de ſe, de liberis ſuis, de pa-
 tria, de fortunis hodierno die decertari putat.

Unum genus eſt adverſum infeſtumq; no-
 bis, eorum quos P. Clodij furor rapinis & in-
 cendijs, & omnibus exitijs publicis pavit: qui
 heſterna etiam concione incitati ſunt, ut vo-
 bis voce præirent, quid judicaretis. Quorum
 clamor ſi quis fortè fuerit, admonere vos de-
 bebit, ut eum civem retineatis, qui ſemper
 genus illud hominum, clamoresq; maximos
 pro veſtra ſalute neglexit. Quamobrem ade-
 ſte animis judices, & timorem, ſi quem habe-
 tis, deponite. Nam ſi unquam de bonis & for-
 tibus viris, ſi unquam de benè meritis civibus
 poteſtas vobis judicandi fuit: ſi deniq; unquã
 locus ampliffimorum ordinum delectis viris da-
 tus eſt, ubi ſua ſtudia erga fortes & bonos cives,



M. T. C I C E R O.

quæ nutu & verbis sæpè significassent, re & sententijs declararent: hoc profecto tempore eam potestatem omnem vos habetis, ut statuat, utrum nos, qui semper vestræ autoritati dediti fuimus, semper miseri lugeamus: an tam diu vexati à perditissimis civibus, aliquando per vos ac vestram fidem, virtutem, sapientiamq; recreemur. Quid enim nobis duobus laboriosius iudices? quid magis sollicitum, magis exercitum dici aut fingi potest? qui spe amplissimorum præmiorum ad Rempubl. adducti, metu crudelissimorum exitiorum carere non possumus. Et quidem cæteras tempestates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum semper putavi Miloni esse subeundas, quod semper pro bonis contra improbos senserat, iudicio verò & in eo concilio, in quo ex cunctis ordinibus amplissimi viri iudicarent, nunquam existimavi spem ullam esse habituros Milonis inimicos, ad eius non salutem modò extingvendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam. Quamquam in hac causa iudices T. Annij Tribunatu, rebus omnibus pro salute Reipublicæ gestis ad hujus criminis defensionem non abutemur, nisi oculis videritis insidias Miloni à Clodio factas: nec deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis multa propter præclara in Republicam merita condonetis: nec postulatū

PRO MILONE.

laturi, ut si mors P. Clodij salus vestra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potiùs, quàm populi Romani foelicitati adsignetis. Sed si illius insidiæ clariores hac luce fuerint, tum deniq; obsecrabo obtestaborq; vos iudices, si cætera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia telisq; vitam, ut impunè liceat defendere.

Sed antequam ad eam orationem veniam, quæ est propria nostræ quæstionis, videntur ea esse refutanda, quæ in Senatu sæpè ab inimicis, ab improbis sæpe jactata sunt, & concione etiam paulò antè ab accusatoribus: ut omni errore sublato, rem planè quæ venit in iudiciũ, videre possitis. Negant intueri lucem, fas esse ei, qui à se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? Nempe in ea, quæ primum iudicium de capite vidit M. Horatij fortissimi viri, qui nondum libera civitate, tamen populi Romani comitijs liberatus est, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur. An est quisquam, qui hoc ignoret, cum de homine occiso quæretur, aut negari solere omninò esse factum, aut rectè aut jure factum esse defendi; Nisi verò existimatis dementem P. Africanium fuisse: qui cum à Cn. Carbone Tri. pleb. in concione seditiosè interrogaretur, quid de T. Grachi morte sentiret, respondit jure casum

M. T. C I C E R.

casum videri. Neq; enim posset aut Hala ille Servilius, aut P. Nafica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me Consule Senatus non nefarius haberi, si sceleratos cives interfici nefas esset.

Itaq; hoc, iudices, non sine causa fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt: eum qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, variatis hominum sententijs non solum divina, sed etiam deæ sapientissimæ sententia liberatum. Quod si duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impunè voluerunt: quis est, qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus? Atqui si tempus est ullum jure hominis necandi (quæ multa sunt) certè illud est non modò justum, verum etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur, pudicitiam cum eriperet militi Tribunus militaris in exercitu C. Marij, propinquus ejus imperatoris interfectus ab eo est, cui vim adferebat. Facere enim probus adolescens periculosè, quàm perpeti turpiter maluit. Atq; hunc ille vir summus scelere solum periculo liberavit. Insidiatori verò & latroni quæ potest adferri injusta nex? Quid comitatus nostri, quid gladij voluit? quos habe-

PRO MILONE.

habere certè non liceret, si uti illis nullo pacto liceret.

Est enim hæc iudices non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Silent enim leges inter arma, nec se expectari jubent, cum ei qui expectare velit, antè injusta pœna luenda sit, quàm justa repetenda. Etsi persipienter & quodammodo tacitè dat ipsa lex potestatem defendendi: quæ non modò hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat: ut cum causa non telum quæreretur, qui sui defendendi causa telo esset usus, non hominis occidendi causa habuisset, telum iudicaretur. Quapropter hoc maneat in causa iudices. Non enim dubito, quin probaturus sim vobis defensionem meam, si id meminertis, quod oblivisci non potestis, Infidiatorem jure interfici posse. Sequitur illud, quod à Milonis inimicis sæpissimè dicitur, cædem, qua P. Clodius occisus est, Senatū iudicasse contra Rempublicam esse factam, illam verò Senatus non sententijs suis solum, sed etiam studijs comprobavit. Quoties

M. T. C I C E R.

ties enim est illa causa à nobis acta in Senatu? quibus assensionibus universi ordinis? quàm nec tacitis nec occultis? Quando enim frequentissimo Senatu quatuor, ad summum quinque sunt inventi, qui Milonis causam non probarent? Declarant hujus Ambusti Trib. Pleb. illæ intermortuæ conciones, quib. quotidie meam potentiam invidiosè criminabatur, cum diceret Senatum non quod sentiret, sed quod ego vellem, re decernere. Quæ quidem si potentia est appellanda potius, quàm propter magna in Rempublicam merita, mediocris id bonis causis auctoritas, aut propter officiosos labores meos nonnulla apud bonos gratia, appelletur ita sanè, dummodo ea nos utamur pro salute bonorum, contra amentiam perditorum.

Hanc verò quæstionem, etsi non est iniqua, nunquam tamen Senatusconstituendam putavit. Erant n. leges, erant quæstiones vel de cæde, vel de vi: nec tantum mœrorem ac luctum Senatui mors Pub. Clodij adferebat, ut nova quæstio constitueretur. Cujus n. Senatui de illo incesto stupro iudicium decernendi potestas esset erepta, de ejus interitu quis potest credere Senatum iudicium novum constituendum putasse? Cur igitur incendium Curia, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipsam contra Rempub. Senatus factam esse decrevit? Quia nulla vis unquam

est

P R O M I L O N E .

est in libera civitate suscepta, inter cives non
contra Rempublicam. Non enim est ulla de-
fensio contra vim unquam optanda, sed non-
nunquam est necessaria. Nisi verò aut ille dies
quo Tib. Gracchus est cæsus, aut ille quo Ca-
jus, aut quo arma Saturnini oppressa sunt. Et-
iam si à Republica, Rempublicam tuam non
vulnerarunt. Itaq; ego ipse decrevi, cum cæ-
dem in Appia factam esse constaret: non eum
qui se defendisset contra Rempublicam fecif-
se, sed cum inessent in te vis & insidia, crimen
judici reservavi, rem notavi. Quòd si per fu-
riosum illum Tribunum, Senat, ui quod sentie-
bat perficere licuisset, novam quæstionem nunc
nullam haberemus: decernebat enim, ut ve-
teribus legibus tantummodo extra ordinem
quæreretur. Divisa sententia est, postulante
nescio quo (nihil enim necesse est omnium
flagitia proferre) sic reliqua auctoritas Sena-
tus empta intercessione sublata est.

At enim Cn. Pompejus rogatione sua, &
de re & causa judicavit, tulit enim de cæde,
quæ in Appia via facta esset, in qua P. Clodius
occisus fuit. Quid ergò tulit? nempe ut quæ-
reretur. Quid porrò quærendum est? factum
ne sit? at constat. A quo? at patet. Vidit et-
iam in confessione facti, juris tamen defensio-
nem suscipi posse. Quòd nisi vidisset, posse ab-
solvì eum, qui fateretur, cū videret nos fateri,
neq;

M. T. C I C E R.

neq; quæri unquam jussisset, nec vobis tam salutarem hanc in judicando literam, quam illam tristem dedisset. Mihi verò Cn. Pompejus non modò nihil gravius contra Milonem judicasse, sed etiam statuuisse videtur, quid vos in judicando spectare oporteret. Nam qui nō pœnam confessioni, sed defensionem dedit, is causam interitus quærendam, non interitum putavit. Jam illud dicet ipse profectò, quòd sua sponte fecit: P. nè Clodio tribuendum putet, an tempori? Domi suæ nobilissimus vir, Senatus propugnator, atq; illis quidem temporibus penè patronus, avunculus hujus nostri judicis fortissimi viri Catonis, Tribunus plebis M. Drusus occisus est: nihil de ejus morte populus consultus, nulla quæstio decreta à Senatu est. Quantum luctum in hac urbe fuisse à nostris patribus accepimus, cum P. Africano domi suæ quiescenti ista nocturna vis esset illata: quis tum non gemuit? quis non arsit dolore? quem immortalem, si fieri posset, omnes esse cuperent, ejus nec necessariam quidem expectatā esse mortē? Num igitur ulla quæstio de Africani morte lata est? certè nulla. Quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obscuro necantur. Interfit inter vitæ dignitatem summorum atq; infirmorum: mors quidem illata per scelus, iisdem pœnis teneatur & legibus: nisi fortè magis erit

P. R O M I L O N E.

erit parricida, si quis consularem patrem,
quàm si quis humilem necaverit.

At eo mors atrocior erit P. Clodij, quòd
is in monumentis majorum suorum sit inter-
fectus. Hoc enim sæpè ab istis dicitur: per-
inde quasi Appius ille Cæcus viam munierit,
non qua populus uteretur, sed ubi impunè sui
posterì latrocinaurentur. Itaq; in eadem ista
Appia via cum ornatissimum equitem Roma-
num M. Papyriũ occidisset, non fuit illud faci-
nus puniendum. Homo enim nobilis in suis
monumentis equitem Romanum occiderat.
Nunc ejusdem Appiæ nomen quantas Tragœ-
dias excitat? quæ cruentata antea cæde hone-
sti, atq; innocentis viri silebatur, eadem nunc
crebrò usurpatur, posteaquam latronis &
parricidæ sanguine imbuta est. Sed quid ego
illa commemoro? Comprehensus est in tem-
plo Castoris servus P. Clodij, quem ille ad Cn.
Pompejum interficiendum collocarat. Exor-
ta est confitenti sica de manibus. Caruit fo-
ro postea Pompejus, caruit senatu, caruit pu-
blico: janua se ac parietibus, non jure legum
judiciorumq; textit. Num quæ rogatio lata?
num quæ nova quæstio decreta est? Atqui
si res, si vir, si tempus ullum dignum fuit, certè
hæc in illa causa summa omnia fuerunt. Insi-
diator erat in foro collocatus, atq; in vestibulo
ipso Senatus: ei viro autem mors paraba-
tur,

B

tur,

M. T. C I C E R.

tur, cuius in vita nitebatur salus civitatis: eo porro Reipub. tēpore, quo si unus ille occidisset, non hæc solūm civitas, sed gentes omnes concidissent. Nisi fortè, quia perfecta res non est, non fuit punienda, perinde quasi exitus rerum, non hominum consilia legibus vindicentur. Minus dolendum fuit re non perfecta, sed puniendum certè nihilominus.

Quoties ipse, Iudices, ex P. Clodij telis & cruentis ejus manibus effugi? ex quibus si me non mea vel Reipublicæ fortuna servasset, quis tandem de interitu meo quætionem intulisset? Sed stulti sumus qui Drusium qui Afrfricanum, Pompejum, nosmetipsos cum P. Clodio conferre audeamus. Tolerabilia fuerunt illa. P. Clodij mortem æquo animo nemo ferre potest: Luget Senatus, mæret Equester ordo, tota civitas confecta senio est, squalent municipia, afflicantur Coloniae, agri deniq; ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant. Non fuit ea causa Iudices, non fuit, cur sibi censeret Pompejus quætionē ferendam, sed homo sapiens & alta quadam mente præditus multa vidit: fuisse sibi illum inimicum familiarem Milonem: in communi omnium lætitia, si etiam ipse gauderet, timuit ne videretur infirmior fides reconciliatæ gratiæ. Multa etiam alia vidit: sed illud maximè, quamvis atrociter ipse tulisset,

vos

PRO MILONE.

vos tamen fortiter iudicatu-
ros. Itaq; delegit è
florentissimis ordinibus ipsa lumina. Neq; ve-
rò, quod nonnulli dicunt, secrevit in iudici-
bus legendis amicos meos, neq; enim hoc co-
gitavit vir justissimus: neq; in bonis viris le-
gendis id assequi potuisset, etiamsi cupisset.
Non enim mea gratia familiaritatibus conti-
netur, quæ latè patere non possunt, propterea
quòd consuetudines victus non possunt esse
cum multis, sed si quid possumus, ex eo possu-
mus, quòd Respublica nos conjunxit cum
multis, ex quibus ille cum optimos viros lege-
ret, idq; maximè ad fidem suam pertinere ar-
bitraretur, non potuit legere non studiosos
mei. Quòd verò te L. Domiti, huic quæstioni
præesse maximè voluit, nihil quæsit aliud,
nisi justitiam, gravitatem, humanitatè, fidem.
Tulit ut Consularè necesse esset, credo, quòd
principum munus esse ducebat resistere & le-
vitati multitudinis, & perditorum temeritati.
Ex consularibus te creavit potissimùm: dede-
ras enim, quàm contemneres populares insa-
nias, jam ab adolescentiâ documèta maxima.

Quamobrem, Iudices, ut aliquando ad cau-
sam criminèq; veniamus: si neq; omnis confes-
sio facti est inusitata, neq; de causa quicquam
nostra aliter, ac nos vellemus, à Senatu iudi-
catum est, & lator ipse legis, cum esset contro-
versia nulla facti, juris tamen disceptationem

M. T. C I C E R O.

esse voluit : & electi iudices, & isti præpositus
quæstioni, qui hæc justè sapienterq; disceptet
reliquum est iudices, ut nihil jam aliud quæ-
rere debeatis, nisi uter utri insidias fecerit :
quod quò facilius argumentis perspicere pos-
sitis, rem gestam vobis dum breviter expono,
quæso diligenter attendite. P. Clodius cum
statuisset omni scelere, in Prætura vexare
Rempublicam, videretq; ita tracta esse comi-
tia anno superiore, ut non multos menses
Præturam gerere posset : qui non honoris
gradum spectaret, ut cæteri, sed & L. Paulum
Collegam effugere vellet singulari virtute ci-
vem, & annum integrum ad dilacerandam
Rempublicam. quæreret : subito reliquit annum
suum, seq; in annum proximum transtulit,
non religione aliqua, sed ut haberet, quod ip-
se dicebat, ad Præturam gerendam, hoc est, ad
evertendam Rempubl. plenum annum atq;
integrum. Occurrebat, mancam ac debilem
Præturam suam futuram Cos. Milone. Eum
porro summo consensu populi Romani Con-
sulem fieri videbat, contulit se ad ejus com-
petitores, sed ita, totam ut petitionem ipse
solus etiam invitis illis gubernaret : tota ut
comitia suis, ut dictitabat, humeris sustineret,
convocabat tribus, se interponebat coloniam
novam, delectum perditissimorum scribebat
civium. Quantò ille plura miscebat, tantò
hic

PRO MILONE.

hic magis indies convalescebat. Ubi vidit homo ad omne facinus paratissimus, fortissimum virum inimicissimum suum, certissimum Consulem, idque intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragijs populi Romani sapere esse declaratum, palam agere cepit & aperte dicere, occidendum Milonem. Servos agrestes & Barbaros, quibus sylvas publicas depulatus erat, Hetruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis: res erat minimè obscura. Etenim palam dictitabat, Consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse. Significavit hoc sapere in Senatu: dixit in concione, quinetiam Favonio fortissimo viro quaerenti ex eo: qua spe fureret Milone vivo, respondit, triduo illum, ad summum quatruiduo, periturum. Quam vocem ejus ad hunc M. Catonem statim Favonius detulit.

Interim cum sciret Clodius (neque enim erat difficile scire) iter solenne, legitimum necessarium ante diem decimum tertium Calend. Febru. Miloni esse Lanuvium ad Flaminem prodeundum, quod erat Dictator Lanuvij Milo: Roma subito ipse profectus pridie est, ut ante fundum suum (quod re intellectum est) Miloni insidias collocaret: atque ita profectus est, ut concionem turbulentam, in qua ejus furor desideratus est, quæ illo ipso die habita est, relinqueret: quam nisi obire facino-

M. T. C I C E R O

ris locum tempusq; voluisset, nunquam reli-
quisset. Milo autem cum in Senatu fuisset eo
die, quo ad Senatus dimissus est, domum venit,
calceos & vestimenta mutavit: paulisper, dum
se uxor (ut fit) comparat, commemoratus est
deinde profectus est id temporis, cum jam
Clodius (siquidem eo die Romam venturus
erat) redire potuisset. Obviam fit ei Clodius
expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedi-
mentis, nullis Græcis comitibus (ut solebat)
sine uxore, quod nunquam ferè: cum hic insi-
diator, qui iter illud ad eadem faciendam ap-
parasset, cum uxore veheretur in rheda penu-
latus, vulgi magno impedimento, ac muliebri
& delicato ancillarum puerorumq; comitatu,
fit obviam Clodio ante fundum ejus hora fe-
rè undecima, aut non multò secùs. Statim
complures cum telis in hunc faciunt de loco
superiore impetum: adversi rhedarium occi-
dunt. Cum autem hic de rheda rejecta penula
desilisset, seq; acri animo defenderet: illi qui
erant cum Clodio, gladijs eductis partim re-
currere ad rhedam, ut à tergo Milonem adorirè-
tur: partim, quòd hunc iam interfectum putarèt
cædere incipiunt eiq; servos, qui post erant. Ex
quibus qui animo fideli in dominum erant, &
præsentes fuerunt, partim occisi sunt; partim
cum ad rhedam pugnari viderèt, & domino suc-
currere prohiberètur, Milonemq; occisum esse et-
iam

P R O M I L O N E .

jam ex ipso Clodio audirēt, & ita esse putarēt, fecerūt id servi Milonis (dicam enim non derivādi criminis causa, sed ut factū est) neq; imperāte, neq; sciēte neq; præsēte domino, quod suos quisq; servos in tali re facere voluisset.

Hæc sicut exposui, ita gesta sunt, Judices: insidiator superatus, ut victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est: nihil dico quid Respublica cōsecuta sit, nihil quid vos, nihil quid omnes boni, nihil fanè id profit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem servare potuerit, quin unā Rempubicā vosq; servaret. Si id jure non posset, nihil habeo quod defendā. Sin hoc & ratio doctis, & necessitas Barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnē semper vim, quacunq; ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarēt: non potestis hoc facinus improbatū judicare, quin simul judicetis, omnibus qui in latrones inciderint, aut illorū telis, aut vestris sententijs esse percundum. Quod si ita putasset, certè optabilius Miloni fuit dare jugulum P. Clodio, non semel ab illo, neque tum primū peti- tum, quān jugulari à vobis, quia se illi non jugulandum tradidisset. Sin hoc nemo vestrum ita sentit, illud in judiciū venit, non occisus ne sit, quod fatemur: sed jure an injuria, quod multis antè in causis jam quæsitum est. Insidias factas esse constat, & id est,

B 4

quod

M. T. C I C E R O.

quod Senatus contra Rempublicam factum
judicavit: ab utro factæ sint, incertum est, de
hoc igitur latum est, ut quæreretur. Ita &
Senatus rem, non hominem notavit: & Pom-
pejus de jure, non de facto quæstionem tulit.
Nunquid igitur aliud in iudicium venit, nisi
uter utri insidias fecerit? profectò nihil si hic
illi, ut ne sit impunè: si ille huic, tum nos sce-
lere solvamur. Quonam igitur pacto proba-
ri potest: insidias Miloni fecisse Clodium, sa-
tis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria
bellua docere, magnam ei causam, magnam
spem in Milonis morte propositam, magnas
utilitates fuisse. Itaq; illud Cassianum, cui
bono fuerit, in his personis valeat: etsi boni
nullo emolumento impelluntur in fraudem,
improbi sæpè parvo.

Atqui Milone interfecto, Clodius hoc asse-
quebatur, non modò ut Prætor esset non eo
Consule, quo sceleris nihil facere posset: sed
etiam his consulibus Prætor esset, quibus si
non adjuvantibus, at conniventibus, certè
sperasset se posse Rempubl. eludere in illis suis
cogitatis furoribus. Cujus illi conatus, ut il-
le ratiocinabatur, nec si cupèrent, reprimere
possent, cum tantum beneficium ei se debere
arbitrarentur: & si vellent, fortasse vix possent
frangere hominis sceleratissimi corrobora-
tam jam vetustate audaciam. An verò, Ju-
dices

PRO MILONE.

dices, vos soli ignoratis? vos hospites in hac urbe versamini? vestrae peregrinantur aures? neq; in hoc pervagato civitatis sermone versantur? quas ille leges (si leges nominandae sunt, ac non faces urbis, & pestes Reipub.) fuerit impositurus nobis omnibus, atq; inusturus? Exhibe quaeso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum vestrarum, quod te ajunt eripuisse e domo: & ex medijs armis, turbaq; nocturna tanquam Palladium sustulisse, ut praclarum inde munus ac instrumentum Tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo arbitrio Tribunatum gereret, deferre posses.

Et adspexit me quidem illis oculis, quibus tum solebat, cum omnia omnibus minabatur. Movet me quippe lumen curiae. Quid tu me iratum Sexte putas tibi? cujus tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meae postulare? Tu P. Clodij cruentum cadaver ejecisti domo: tu in publicum ejecisti: tu spoliatum imaginibus, exequijs, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti: quam rem etsi necessario fecisti, tamen quoniam in meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam, laudare non possu, irasci certe non debeo. P. Clodij Praetoram non sine maximo rerum novarum motu proponi solitam esse videbatis, nisi esset is Con-

M. T. C I C E R.

ful, qui eam auderet possetq; confringere, eum Milonem esse, cum sentiret universus populus Romanus, quis dubitare suffragio suo, se metu, periculo Rempubl. liberare.

At nunc P. Clodio mortuo usitatis jam rebus obnitendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam. Singularis illa huic uni concessa gloria, quæ quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, jam morte Clodij cecidit. Vos adepti estis, ne quem civem metueretis: hic exercitatione virtutis, suffragationem Consulatus, fontem perennem gloriae suae perdidit. Itaq; Milonis Consulatus, qui vivo Clodio labefactari non poterat, mortuo deniq; tentari ceptus est. Non modò igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodij mors Miloni. At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit altor injuriae, punitor doloris sui. Quid? si hæc non dico majora fuerunt in Clodio, quàm in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius? quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suae gloriae, præter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus: ille erat, ut odisset, primùm salutis meae, deinde vexatorem furoris, domitorem armorum suorum, postremò etiam accusatorem suum: reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit. Quo tandem animo hoc tyrannum tulisse credetis? quantum odium illius? & in homi-

PRO MILONE.

homine injusto quàm etiam justum? Reliquum est, ut jam illum natura ipsius, consuetudoq; defendat, hunc autem hæc eadem coarguant. Nihil per vim unquam Clodius, omnia per vim Milo. Quid ergò Judices cum moerentibus, vobis Urbe cessi, non servos, non arma, non vim intentavit?

Quæ fuisset igitur causa restituendi mei, nisi fuisset injusta eijciendi? Diem mihi credo dixerat, mulctam irrogarat, actionem perduellionis intenderat, & mihi, judices, in causa, aut vestra mala, aut mea nec præclarissima judicium timendum fuit? Servorum & egentium civium & facinorosorum armis, meos cives, meis consilijs periculisq; servatos, pro me objici nolui. Vidi enim, vidi hunc ipsum Qu. Hortensium, lumen & ornamentum Reipublicæ, penè interfici servorum manu, cum mihi adesset: quia in turba Cn. Vibienus Senator, vir optimus, cum hoc quum esset unum, ita est mulctatus, ut vitam amiserit. Itaque quando illius postea sicca illa, quam à Catilina acceperat, conquievit? hæc intentata nobis est, huic ego vos objeci pro me non sum passus, hæc insidiata Pompejo est: hæc istam Appiam viam monumentum sui nominis nece Papyrij cruentavit: hæc eadem longo intervallo conversa rursus est in me nuper quidem, ut scitis, me ad regiam penè confecit.

Quid

M. T. C I C E R.

Quid simile Milonis? cujus vis omnis hæc
semper fuit, ne Pub. Clodius cum in iudicium
detrahi non posset, vi oppressam civitatem
teneret. Quem si interficere voluisset, quan-
tæ quoties occasiones, quàm præclaræ fue-
runt? Potuitne cum demum ac deos penates
suos illo oppugnante defenderet, jure se ul-
cisci? potuitne cive egregio & viro fortissi-
mo Publio Sestio Collega suo vulnerato?

Potuitne Fabricio viro optimo, cum de re-
ditu meo legem ferret, pulsos crudelissima in
foro cæde facta? potuitne Luc. Cæcilij justis-
simo fortissimiq; Prætoris oppugnata domo?
potuitne illo die cum esset lata lex de me?
cum totius Italiæ concursus, quem mea salus
concitârat, facti illius gloriam libens agno-
visset? ut etiam si id Milo fecisset, cuncta civi-
tas eam laudem pro sua vindicaret. Atqui
erat id tēporis clarissimus & fortissimus Con-
sul inimicus Clodio Pub. Lentulus, ultor sce-
leris illius, propugnator Senatus, defensor
vestræ voluntatis, patronus illius publici con-
sensus, restitutor salutis meæ: septem Præto-
res, octo Tribun. plebis illius adversarij, de-
fensores mei: Cn. Pompejus auctor & dux mei
reditus illius hostis: cujus sententiam Senatus
omnis de salute mea gravissimam & ornatif-
simam secutus est: qui populum Romanum
cohortatus est: qui cum de me decretum Ca-
puz

P R O M I L O N E .

puæ fecisset, ipsæ cunctæ Italiæ cupienti, & e-
jus finem imploranti, signum dedit, ut ad me
restituendum Romam concurrerent. Omnia
tum deniq; in illum odia civium ardebant
desiderio mei: quem tum si interemisset, non
de impunitate ejus, sed de præmijs cogitare-
tur: tamen se Milo continuit, & Pn. Clodium
ad judicium bis, ad vim nunquam vocavit.
Quid privato Milone, & reo ad populum ac-
cusante Publ. Clodio, cum in Cn. Pompejum
pro Milone, dicentē impetus factus est? quæ
tum non modò occasio, sed etiam causa illius
opprimendi fuit?

Nuper verò cùm M. Antonius summam
spem salutis bonis omnibus attulisset, gravis-
simamq; adolescens nobilissimus Reipublicæ
partem fortissimè suscepisset, atq; illam bel-
luam judicij laqueos declinantem jam irreti-
tam teneret: qui locus, quod tempus illud, dij
immortales, fuit? cum se illi fugiens in sca-
larum tenebris abdidisset: magnum Miloni
fuit conficere illam pestē nullam sua invidia,
Antonij verò maxima gloria? Quid? comitiis
in campo quoties potestas fuit? cùm ille vi
in septa irruisset, gladios distringendos, lapi-
des jaciendos curasset: deinde subitò vultu
Milonis perterritus fugeret ad Tyberim: vos
& omnes boni vota faceretis, ut Miloni uti
virtute sua liceret? Quem igitur cum omniū
gratia

M. T. C I C E R.

gratia noluit hunc voluit, cum aliquorum querela? quem jure, quem loco: quem tempus, quem impunè non est ausus, hunc injuria, in quo loco, alieno tempore, periculo capitis nō dubitavit occidere? Præsertim, Judices, cū honoris amplissimi contentio, & dies comitorum subesset: quo quidem tempore (scio enim, quàm timida sit ambitio, quantaque & quàm sollicita cupiditas Consulatus) omnia non modò, quæ reprehendi palàm, sed etiam obscurè cogitari possunt, timemus rumore, fabulam fictam, falsam perhorrescimus: ora omnium atq; oculos intuemur. Nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile aut flexibile, quàm voluntas erga nos sensusq; civium: qui non modò improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam rectè factis sæpè fastidiunt. Hunc diem igitur campi speratum atq; exoptatum sibi proponens Milo, cruentis manibus scelus & facinus præ se ferens & confitens, ad illa augusta Centuriarum auspicia veniebat. Quàm non credibile in hoc, quàm idem in Clodio non dubitandum? qui se, interfecto Milone, regnaturum putaret.

Quid (quod caput audaciæ est, Judices) quis ignorat maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem? in utro igitur hæc fuit? in Milone? qui etiam nunc reus est facti aut præclari, aut certè necessarij? an in Clodio? qui
ita

PRO MILONE.

ita iudicia pœnamq; contempserat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret? Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? te Qu. Petili appello optimum & fortissimum civem: te M. Cato testor, quos mihi divina quædam fors dedit iudices, vos ex M. Favonio audistis, Clodium sibi dixisse, & audistis vivo Clodio, periturum Milonē triduo, post diem tertium gesta res est, quam dixerat. Cum ille non dubitaret aperire quid cogitaret, vos potestis dubitare quid fecerit? Quemadmodum igitur eum dies non fessellit, dixi equidem modò. Dictatoris Lanuvini stata sacrificia nosse negotij nihil erat. Vidit necesse esse Miloni proficiscī Lanuvium illo ipso quo profectus est die. Itaque antevertit. At quo die? quo ut ante dixi, insanissima concio ab ipsius Mercenario Tribun. pleb. est concitata: quem diem ille, quam concionemq; vos clamores nisi ad cogitatum facinus appropieraret, nunquā reliquisset. Ergo illi nec causa quidē itineris, etiam causa manendi. Miloni nulla facultas manendi, exeundi non causa solūm, sed etiam necessitas fuit. Quid? si ut ille scivit, Milonem fore eo die in via, sic Clodium Milone suspicari quidem potuit? Primūm quæro, quī scire potuerit? Quod vos idem in Clodio quære

M. T. C I C E R.

quærere non potestis. Ut enim neminem alium nisi Tit. Patinam familiarissimum suum rogasset, scire potuit illo die ipso Lanuvij à Dictatore Milone prodi Flaminem necesse esse. Sed erant permulti alij, ex quibus id facillimè scire possent, omnes Lanuvini. Milo de Clodij reditu unde quæsit? quæsierit sanè, videte quid vobis largior, servum etiam, ut Arius meus amicus dixit, corruerit.

Legite testimonia testium vestrorum, dixit C. Cassinius, cognomèto Schola, Interamnis, familiaris meus, & idem comes P. Clodij, cujus jam pridem testimonio Clodius eadem hora Interamne fuerat, & Romæ P. Clodium illo die in Albano mansurum fuisse, sed subito ei fuisse nunciatum, Cyrum Architectum esse mortuum. Itaq; Romam repentè constituisse proficisci: dixit hoc comes item Publij Clodij, C. Clodius. Videte, Judices, quantæ res his testimonijs sunt confectæ. Primum certè his liberatur Milo, non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur in via Clodio, quippe si ille ei obvius futurus omninò non erat. Deinde (non enim video, cur non meum agam negocium) scitis Judices fuisse, qui in hac ratione suadenda dicerent, Milonis manu eadem esse factam, consilio verò majoris alicujus. Videlicet me latronem ac sicariùm abjecti homines & perditì describebant. Ja-
cent

PRO MILONE.

cent suis testibus ij, qui Clodium negant eodie Romam, nisi de Cyro auditum esset, reditum fuisse. Respiravi liberatus sum: non vereor, ne quod ne suspicari quidem potuerim, videari id cogitasse. Nunc persequar cætera: nam occurrit illud, ut Clodius quidem de insidijs cogitavit: quoniam fuit in Albano mansurus, si quidem exiturus ad eadem è villa non fuisset. Video enim illum, qui dicitur Cyri mortem nunciasse, non id nunciasse, sed Milonem appropinquare. Nam quid de Cyro nunciaret, quem Clodius Roma proficiscens reliquerat morientem? Unà fui, testamentum simul obsignavi cum Clodio testamentum autem palàm fecerat, & illum heredem, & me scripserat, quem pridie hora tertia, animam efflantem reliquisset, eum mortuum postridie hora decima ei nunciabatur?

Age, si ita factum: quæ causa cur Romam properaret? cur in noctem, conijceret? quid adferebat festinatio? quod hæres erat? primum erat nihil, cur properato opus esset, deinde si quis esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset, amitteret autem si postridie manè Romam venisset? Atque ut illi nocturnus ad Urbem adventus vitandus potius, quàm expetendus fuit: sic Miloni cum insidiator esset, si illum ad Urbem noctu accessurum sciebat, subsistendum atq; expectandum

C

dum

M. T. C I C E R O

dum fuit: nemo ei neganti non credidisset, quem omnes saluum etiam confitentem volunt. Sustinuisse crimen primum ipse ille latronum occultator & receptor locus, dum neque muta solitudo indicasset, neque cæca nox ostendisset, deinde ubi multi ab illo violati, spoliati, bonis expulsi, multi etiam hæc timentes in suspicionem caderent, tota denique rea citaretur Hetruria. Atqui illo die certe Aricia rediens divertit Clodius in Albanum quod nisi sciret illum Milo Ariciæ fuisse, suspicari tamen debuit, eum, etiam si Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quæ viam tangeret, diversurum, cur neq; antè occurrit, ne in villa resideret? nec eo in loco subsedit, quo ille noctu venturus esset? Video adhuc constare omnia, Iudices, Miloni etiam utile fuisse Clodium vivere: illi ad ea quæ concupierat optatissimum interitum Milonis fuisse, Odium illius in hunc acerbissimū, in illum huius nullum. Consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda, huius tantum in repellenda. Mortem ab illo denunciata[m] palam Miloni & prædicata[m]: nihil unquam auditum ex Milone profectionis huius diem illi notum, reditum illius huic ignotum fuisse. Huius iter necessarium: illius etiam potius alienum. Hunc præ se tulisse illo die Roma exiturum: illum eod[em] die se dissimulasse rediturum. Hunc nullius

PRO MILONE.

nullius rei mutasse consilium, illum causam mutandi consilij finxisse. Hinc si insidiaretur, nocte prope Urbem expectandum: illi etiam si hunc non timeret, tamen accessum ad urbem nocturnum fuisse metuumdum.

Videamus nunc (id quod caput est) locus ad insidias ille, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior. Id verò, Iudices, etiam debitan- dum, & diutiùs cogitandum est? Ante fundum Clodij, quo in fundo propter iasanas illas sub- structiones, facile mille hominum versabatur valentium adversari. At qui excelso loco su- periorem se fore putabat Milo, & ob eam cau- sam eum locum ad pugnam potissimum dele- gerat. An in eo loco potius expectandum ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitâ- rat? Res loquitur Iudices ipsa, quæ semper va- let plurimum, si hæc non gesta audiretis, sed picta videretis: tamē appareret, uter esset insi- diator: uter nihil cogitaret mali cum alter veheretur in Rheda penulatus, unâ sederet u- xor: quid horum non impeditissimum? vestitus? an vehiculum? an comes? quid mi- nus promptum ad pugnam? cum penula ir- retitus, rheda impeditus, uxore penè con- strictus esset. Videte nunc illum, primum egredientem è villa subito, cur vesperi? quid

C o

quid

M. T. C I C E R.

quid necesse est tardè? qui convenit, præsertim id temporis? Divertit ad villam Pompeij, Pompeiū ut videret: sciebat in Alsienti esse villa procul inde. Villā ut perspiceret? milies in lea fuerat. Quid ergo erat moræ & tergiversationis? dum hic veniret, locū relinquere voluit.

Agè, nunc iter expediti latronis, cum Milonis impedimentis comparatè. Semper ille antea cum uxore, tum sine ea: nunquam non in rheda, tum in equo Comites Græculi quocunq; ibat, cum etiam in castra Hetrūsca properabat: tum nugarum in comitatu nihil. Milo qui nunquam, tum casu pueros symphonicos uxoris ducebat, & ancillarum greges, ille qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat: tum neminem, nisi ut virum à viro lectum esse diceres. Cur igitur victus est? quia non semper viator à latrone, non nunquam etiam latro à viatore occiditur: quia quanquam paratus in imparatos Clodij, tamen mulier inciderat in viros. Nec verò sic nunquam erat paratus Milo contra illū ut non satis ferè esset paratus semper ille: & quantum interesset Pub. Clodij, se perire, & quanto illi odio esset, & quantum ille auderet, cogitabat quamobrem vitam suam, quam maximis præmijs propositam & benè addictam sciebat, nunquam in periculum sine præsidio & sine custodia provehebat. Adde casus, adde incer-

PRO MILONE.

ros exitus pugnarum, Martemq; communem,
quæ sæpè spoliantem jam & exultantem e-
vertit & perculit ab abjecto. Adde inscitiam
pransi, poti, oscitantis ducis: qui cum à tergo
hostem interclusum reliquisset, nihil de ejus
extremis comitibus cogitavit, in quos incen-
sos ira, vitamq; domini desperantes cum inci-
disset, hæsit in pœnis, quas ab eo servi fideles
pro domini vita expetiverunt.

Cur igitur eos manu misit? metuebat scili-
cet, ne indicaretur? ne dolorem perferre non
possent? ne tormentis cogereatur occisum
esse à servis Milonis in Appia via publ. Clodiū
confiteri? Quid opus est tortore? quid quæ-
ris? occideritne? occidit: jure, an injuria?
nihil ad tortorem. Facti enim in equuleo quæ-
stio est juris in judicio. Quid igitur in causa
quærendum est, id agamus. Hoc quod tormen-
tis invenire vis, id fatemur. Manu verò cur mi-
serit, si id potiùs quæris, quàm cur parùm am-
plis adfecerit præmijs? nescis inimici factum
reprehendere. Dixit enim hoc idem, qui omnia
semper constanter & fortiter M. Cato: dixitq;
in turbulenta concione, quæ tamen hujus au-
toritate placata est: non libertate solum, sed
etiam omnibus præmijs dignissimos fuisse,
qui domini caput defendissent. Quod enim
præmium satis magnum est tam benevolis,
tam bonis, tam fidelibus servis, propter quos

M. T. C I C E R.

vivit? et si id quidem non tanti est, quam quod propter eosdem non sanguine & vulneribus suis crudelissimi inimici mentem oculosque faciavit: quos nisi manumississet, tormentis etiam dedendi fuerunt, conservatores domini, ultores sceleris, defensores neeis. Hic verò nihil habet in his malis, quod minus moleste ferat, quam etiam si quod ipsi accidat, esse tamen illis meritum præmium persolutum.

Sed quæstiones urgent Milonem, quæ sunt habitæ in atrio libertatis, quibusnam de servis? rogas? de Pub. Clodij. quis eos exoptulavit? Appius quis produxit? Appius, unde? Ab Appio. Dij boni, quid potest agi severius: De servis nulla quæstio est in dominum, nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Proximè deos accessit Clodius: propius quam rùm, cum ad ipsos penetrat: cæjus de morte tanquam de ceremonijs violatis quæritur. Sed tamen majores nostri in dominum de servo quæri noluerunt: non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum esse, & domini morte ipsa tristius. In reum de servis accusatoris cum quæritur, verum inveniri potest? Age verò, quæ erat, aut qualis quæstio? Heus ubi Ruscio? ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? fecit: certa crux, nul-

las

PRO MILONE.

tas fecit: sperata libertas. Quid hac quæ-
stione certius? Subitò arrepti in quæstio-
nem, tamen separantur à cœteris & in arcas
conijciuntur, ne quis cum his colloqui possit.
Hi centum dies penes accusatorem cum fuis-
sent, ab eo ipso accusatore producti sunt. Quid
hac quæstione dici potest integrius? quid in-
corruptius.

Quod si satis nondum cernitis, (cùm res ip-
sa tot tam claris argumentis, signisq; luceat)
pura mente atq; integra Milonem, nullo sce-
lere imbutum, nullo metu perterritum,
nulla conscientia exanimatum, Romam re-
vertisse: recordamini per deos immortales,
quæ fuerit celeritas, reditus ejus, qui ingres-
sus in forū ardente curia, quæ magnitudo ani-
mi, qui vultus, quæ oratio. Neque verò se
populo solùm, sed etiam Senatui tradidit: ne-
que Senatui modò, sed etiam publicis præsi-
dijs, & armis: neque ijs tantum, verùm etiam
eius potestati, cui Senatus totam Rempubli-
cam, omnem Italiæ pubem, cuncta populi
Romani arma commiserat. Cui se nun-
quam profectò tradidisset, nisi causæ suæ
confideret, præsertim omnia audienti,
magna intuenti, multa suspicanti, nonnulla
credenti. Magna vis est conscientiæ, Judices,
& magna in utramque partem, ut neque ti-
meant, qui nihil commiserint: & poenam
C 4 semper

M. T. C I C E R O.

semper ante oculos versari putent, qui peccaverint. Neque verò sine ratione certa, causa Milonis semper à Senatu probata est. Videbant enim sapientissimi homines facti rationem, presentiam animi defensionis constantiam. An verò obliti estis Iudices recenti illo nuncio necis Clodianæ, non modò inimicorù Milonis sermones & opiniones, sed nonnullorù imperitorum, qui negabant eum Romam esse rediturum? Sive enim illud animo irato ac percito fecisset, ut incensus odio trucidaret inimicum, arbitrabantur eum tanti mortem Pu. Clodij putasse, ut æquo animo patria careret, cum sanguine inimici expleisset odium suum. Sive etiam illius morte patriam liberare voluisset, non dubitaturum fortem virum, quin cum suo periculo salutem Reipublicæ attulisset, cederet æquo animo legibus, secum auferret gloriam sempiternam, nobis hæc fruenda relinqueret, quæ ipse servasset?

Multi etiam Catilinam atque illa portentosa loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriæ faciet: Miseros interdum cives optimè de Republica meritos: in quibus homines non modò res præclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur. Ergò illa falsa fuerunt, quæ certè vera extitissent, si Milo admisisset aliquid, quod non posset honestè verèq; defendere. Quid? quæ postea

PRO MILONE.

stea sunt in eum congesta? quæ quamvis etiam mediocrium delictorum conscientiam perculissent, ut sustinuit dii immortales? sustinuit? imò verò ut contempsit, ac pro nihilo putavit? quæ neq; maximo animo nocens, neq; innocens, nisi fortissimus vir negligere potuisset. Scutorum, gladiatorum, frenorum, sparrorum, pilorumq; etiam multitudo deprehendi posse judicabatur: nullum in urbe vicum, nullum angiportum esse dicebant, in quo Miloni non esset conducta domus: arma in villam Otriculanam devecta Tyberi: domus in clivo Capitolino scutis referta, plena omnium malleolorum ad urbis incedia comparatorum.

Hæc non delata solum, sed penè credita, nec antè repudiata sunt, quam quæ sita. Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompeij: sed dicam, ut sentio, Judices nimis multa audire coguntur, neq; aliter facere possunt ij, quibus tota commissa est Respublica, quin etiam audiendus sit Papa Licinius, nescio quis de circo maximo, servos Milonis apud se ebrios factos, sibi confessos esse, de interficiendo Pompeio conjurasse. Deinde postea se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret, Pompejo in hortos nunciavit. Arcessor imprimis, de amicorum sententia rem deferre ad Senatum. Non poteram in illius me patriæq; custodis tanta suspitione non metu ex-

C. S.

animari.

M. T. C I C E R.

animari. Sed mirabar tamen credi Popæ: ebriorum confessionum fervorum audiri: vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris putari. Verum etiam, ut intelligo, cavebat magis Pompejus, quam timebat, non ea solum quæ timenda erant, sed omnia, ne aliquid vos timeritis. Oppugnata domus C. Cæsaris clarissimi & fortissimi viri per multas noctis horas nunciabatur. Nemo audierat tam celebri loco, nemo senserat: tamen audiebatur. Non poteram Cn. Pompeium præstantissima virtute civem timidum suspicari. Diligentiam, tota Respublica suscepta, nimiam nullam putabam. Frequentissimo Senatu nuper in Capitolio Senatus inventus est, qui Milonem cum telo esse diceret. Nudavit se in sanctissimo templo; quoniam vita talis & civis & viri fidem non faciebat, nisi eo tacente res ipsa loqueretur. Omnia falsa atq; insidiosè ficta comperta sunt.

Quod tamen si metuitur etiam nunc Milo, non jam Clodianum crimen timemus, sed tuas Cn. Pompei (te enim jam appello ea voce, ut me audire possis) tuas inquam suspiciones perhorrescimus. Si Milonem times, si hunc de tua vita nefariè aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas: Si Italiae delectus, ut nonnulli conquistores tui dictitant: si hæc arma, si Capitolinae cohortes, si excubiae, si vigiliae, si delecta ju-

PRO MILONE.

ventus, quæ tuum corpus domumq; custo-
dit, contra Milonis impetum armata est, at-
que illa omnia in hunc unum instituta, para-
ta, intenta sunt: magna in hoc certè vis &
credibilis animus, & non unius viri vires at-
que opes indicantur, siquidem in hunc unum
& præstantissimus dux electus, & tota Res-
publica armata est. Sed quis non intelligit
omnes tibi Reipublicæ partes agras & laban-
tes, ut eas his armis sanares & confirmares,
esse commissas? Quod si Miloni locus da-
tus esset, probasset profectò tibi ipsi, nemi-
nem unquam hominem homini chariorem
fuisse, quàm te sibi: nullum se unquam peri-
culum pro tua dignitate fugisse: cum illa te-
terrime peste sæpissimè pro tua gloria con-
tendisse: Tribunatum suum ad salutem meam,
quæ tibi charissima fuisset, consilijs tuis gu-
bernatum: se à te postea defensum in periculo
capitis, adjutum in petitione Præturæ: duos
se habere semper amicissimos sperasse, te
tuo beneficio, me suo. Quæ si non proba-
ret, si tibi ita penitus insedisset ista suspicio,
nullo ut evelli modo posset: si denique Ita-
lia à delectu, urbs ab armis, sine Milonis
clade nunquam esset conquietura, næ iste
haud dubitans cessisset patria: is qui ita
natus est, & ita consuevit te, Magne tamen
attestaretur: quod nunc etiam facit. Vide
quàm

M. T. C I C E R O.

quàm si varia commutabilisque ratio, quàm
vaga volubilisq; fortuna, quantæ infidelitates
in amicis, quàm ad tempus aptæ simulationes,
quantæ in periculis fugæ proximorum, quan-
tæ timiditates. Erit, erit illud profectò tempus.
& illucescet aliquando ille dies, cùm tu non
salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse,
motu aliquo communium temporum immu-
tatis (qui quàm crebrò accidat, experti debe-
mꝰ scire) & amicissimi benevolentia, & gravis-
simi hominis fidem, & unius post homines na-
tos fortissimi viri magnitudinem animi desi-
deres. Quanquam quis hoc credat, Cn. Pom-
peium juris publici, moris, majorum, rei deni-
que publicæ perditissimum, cùm Senatus ei
commiserit: ut videret ne quid Respub. detri-
menti caperet, quæ uno versiculo satis armati,
semper Consules fuerunt, etiam nullis armis
datis: hunc exercitu, hunc delectu dato, judi-
cium expectaturum fuisse in ejus judicijs vin-
dicandis, qui vel judicia ipsa tolleret? Satis est
judicatum à Pompeio, falsa ista conferri in
Milonem, qui legem tulit, qua, ut ego sentio,
Milonem absolvi oporteret: ut omnes confi-
terentur, liceret. Quòd verò in illo loco atq;
in illis publicorum præsidiorum copijs cir-
cumfusus sedet, satis declarat, se non terro-
rem inferre vobis (quid enim illo minùs di-
gnum, quàm cogere ut vos eum condemnetis,
in

PRO M I L O N E.

in quem animadvertere ipse & more majorum, & suo jure posset) sed presidio esse, ut intelligatis contra hesternam concionem illam licere vobis quod sentiat, liberè judicare.

Nec verò me, Judices, Clodianum crimen movet: nec tam sum demens, tamque vestri sensus ignarus atque expers, ut nesciam quid de morte Clodij sentiat: de qua si jam nollem ita diluere crimen, ut dilui: tamen impunè Miloni palam clamare atque mentiri gloriosè liceret: Occidi, occidi, non Spurium Melium, qui annona levanda, jacturaque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi: non T. Grachum, qui collegæ magistratum per seditionem abrogavit: quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis sui gloria, sed eum (auderet enim dicere, quum patriam periculo suo liberasset) cujus nefarium adulteriū in pulvinaribus sanctissimæ nobilissimæ foeminae comprehenderunt: eum, cujus supplicio Senatus solennes religiones expiandas sæpè censuit: eum, qui cum sorore germana nefarium stuprum fecisse L. Lucullus juratus se questionibus habitis dixit comperisse.

Eum qui civem, quem Senatus, quem populus, quem omnes gentes, urbis ac vitæ civium conservatorem judicabant, servorum armis exterminavit: eum, qui regna cecidit, a demit orbem:

M. T. C I C E R O.

orbem terrarum quibus cum voluit partiti-
tus est: eum qui pluribus cædibus in foro
factis, singulari virtute & gloria civem,
domum ut & armis compulit: eum cui nihil
unquam nefas fuit nec in facinore, nec in li-
bidine, eum qui ædem Nympharum incendio,
ut memoriam publicam recensiois tabulis
publicis impressam extingueret: eum deniq;
cui jam nulla lex erat, nullum civile jus, nulli
possessionum termini: qui non calumnia li-
cium, non injustis vindicijs ac sacramentis a-
lienos fundos, sed castris, exercitu, signis infe-
rendis petebat.

Qui non solum Hetruscos (eos enim peni-
tus contempserat) sed hunc Cn. Pompeium
virum fortissimum, atq; optatum civem, Ju-
dicem nostrum pellere possessionibus, armis
castrisq; conatus est: qui cum architectis &
decempedis villas multorum hortosq; pera-
grabat: qui Ianiculo & Alpibus spem posses-
sionum terminabat suarum: qui cum ab e-
quite Romano splendidissimo & forti viro T.
Pæconio non impetrasset, ut insulam in lacu
pretio venderet, repente in tribus in eam in-
sulam materiam, calcem, cæmenta, atque
arma convexit: domino trans ripam inspe-
ctante, non dubitavit ædificium extruere in
alieno: qui huic Tito Furfanio, cui viro, Dij
immortales? (quid enim de muliercula San-
ctia?

PRO MILONE.

etia? quid de adolescente Apronio dico? quorum utriusque mortem est minitatus, nisi hortorum possessione cessisset) sed ausus est Furfanio dicere, si sibi pecuniam quantam poposcerat, non dedisset, mortuum se in domum eius illaturum, qua invidia huic esset tali viro conflagrandum, qui Appium fratrem hominem mihi conjunctum fidelissima gratia, absentem de possessione fundi dejecit: qui parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere sic agere fundamenta, ut sororem non modo vestibulo privaret, sed omni aditu & lumine. Quanquam hæc quidem jam tolerabilia videbantur: etiam æqualiter in Rempublicam, in privatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in suos irruerat: sed nescio quomodo jam usu obduruerat & perealluerat civitatis incredibilis patientia. Quæ verò aderant jam & impendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis, aut ferre imperium, si id ille nactus esset? Omitto socios, exterarum nationes, Reges, Tetrarchas (vota enim feceratis, ut in eos se potius mitteret, quam in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias) dico à liberis mediis fidiis, & à conjugibus vestris nunquam ille effrenatas suas libidines cohibuisset. Fingi hæc putatis, quæ patent? quæ nota omnibus? quæ tenentur.



M. T. CICERO.

venentur? servorum exercitus illum in urbe
conscripturum fuisse, per quos totam Rem-
publicam resq; privatas omnium possideret?
Quamobrem si eruentum gladium tenens cla-
maret T. Annius. Adeste quaeso atq; audite ci-
ves, P. Clodium interfeci: ejus furores, quos
nullis jam lagibus nullis judicijs frenare po-
teramus; hoc ferro & hac dextra à cervicibus
repuli: per me unum effectum est, ut jus, æqui-
tas, leges, libertas, pudor, pudicitia, in civitate
manerent.

Enimvero timendum, quoniam modo id fa-
ctum ferret civitas: Nunc enim quis est, qui
non probet? qui non laudet? qui non unum
post hominum memoriam Tit. Annium plu-
rimum Reipublicæ profuisse, maxima lætitiâ
populum Romanum, cunctam Italiam, natio-
nes omnes adfecisse & dicat & sentiat? Ne-
queo vetera illa populi Romani quanta fue-
rint gaudia indicare. Multas tamen jam sum-
morum imperatorum clarissimas victorias
ætas nostra vidit, quarum nulla nec tam diu-
turnam attulit lætitiâ, nec tantam. Manda-
te hoc memoriæ Judices, spero multa vos li-
berosq; vestros in Republica bona esse visu-
ros. In his singulis ita sæper existimabitis: vivo
Pub. Clodio nihil horû vos visuros fore. In ad-
spem maximam, & quemadmodû confido, ve-
rissimam adducti sumus, hunc ipsum annum,

con-

PRO MILONE.

hoc summo viro Consule, concussa hominum
licentia, cupiditatibus fractis, legibus & judi-
cijs constitutis, salutarem civitati fore. Num
quis igitur est tam demens, qui hoc P. Clodio
vivo contingere potuisse arbitretur? Quid?
ea quæ tenetis privata atq; vestra, dominante
homine furioso, quod jus perpetuæ possessio-
nes habere potuissent? Non timeo Judices, ne
odio inimiciarum mearum inflammatus, li-
bentiùs hæc in illum evomere videar, quàm
verius. Etenim etsi præcipuum esse debebat,
tamen ita communis erat omnium ille hostis,
ut in communi odio penè æqualiter versare-
tur odiù meum. Non potest dici satis, nec cogi-
tari quidem, quantum in illo sceleris, quan-
tum exitij fuerit. Quin sic attendite Judices,
nempe hæc est quæstio de interitu Pub. Clodij.
Fingite animis: liberæ enim sunt cogitationes
nostræ: & quæ volunt, sic intuentur, ut ea cer-
nimus, quæ videmus. Fingite igitur cogita-
tione imaginem hujus conditionis meæ, si
possem efficere, ut Milonem absolvatis, sed ita
si P. Clodius revixerit? quid vultu extimuitis?
quonam modo ille vos unus adfecerat, qui
mortuus inani cogitatione percussit? Quid
si ipse Cn. Pompeius, qui ea virtute ac sapien-
tia est, ut ea potuerit semper, quæ nemo præ-
ter illum, suis inquam, potuisset, ut quæstio-
nem de morte Publ. Clodij ferre, sic ipsum

D

ab

M. T. C I C E R O.

ab inferis excitare, utrum putatis potius facturum fuisse? etiam si propter amicitiam vellet illum ab infernis revocare, propter Rempublicam non fecisset. Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam, si putetis per vos restitui posse, nolitis: & de eius nece lata quaestio est, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex nunquam esset. Hujus ergo interfector non esset, etiam confitendo ab his impetraturus, ne poenam timeret, quos liberasset? Graeci homines Deorum honores tribuunt ijs viris, qui Tyrannos necaverunt. Quae ego vidi Athenis? quae alijs in urbibus Graeciae? quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus? quae carmina? Propè ad immortalitatem & religionem & memoriam consecrantur. Vos tanti conservatorem populi, tanti sceleris ultorem, non modò honoribus nullis adficietis, sed ad supplicium rapi etiam patiemini?

Confiteretur, confiteretur, inquam, si fecisset, & magno animo, & libenter se fecisse libertatis omnium causa, quod certè & non confitendum modò fuisset, verum etiam praedicandum. Etenim si id non negat, ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur: dubitaret id fateri, ex quo etiam praemia laudis essent petenda? Nisi verò gratius putat esse vobis, sui se capitis quam vestri ordinis defensorem fuisse:

PRO MILONE.

fuisse: cum præsertim in ea confessione, si grati esse velletis, honores adsequeretur amplissimos. Si factum vobis non probaretur (quanquam qui poterat salus sua cuiquam non probari?) sed tamen si minus fortissimi viri virtus civibus grata cecidisset, magno animo constantique cederet ex ingrata civitate, nam quid esset ingratius, quam latari cæteros, lugere eum solum, propter quem cæteri latarentur? Quanquam hoc animo semper omnes fuimus in patriæ proditoribus opprimendis, ut quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque & invidiam nostram putaremus. Nam quæ mihi contribuenda laus esset ipsi, cum tamen in Consulatu meo pro vobis ac liberis vestris ausus essem: si id quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer? Quæ mulier sceleratum ac perniciosum civem occidere non auderet, si periculum non timeret? Proposita invidia, morte, pœna, qui nihilo segnus Rempublicam defendit, is vir verè putandus est. Populi grati est, præmijs adficere benè meritos de Republica cives: viri fortis, ne supplicijs quidem moveri, ut fortiter fecisse pœniteat. Quamobrem uteretur eadem cōfessione T. Annius qua Hala, qua Nasica, qua Opimius, qua Marius, qua nosmetipsi, & grata Respub. esset lataretur: si in-

D. 2

grata,

M. T. C I C E R O.

grata, tum in gravi fortuna conscientia sua
niteretur.

Sed huius beneficij gratiam Iudices, fortu-
na, populi Romani, & vestra felicitas, & Dij
immortales sibi deberi putant. Nec verò quis-
quam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam
vim cœlestem existimat, numenve divinum:
quem neq; imperij vestri magnitudo, neq; Sol
ille, nec cœli & signorum motus, nec vicissitu-
dines rerum atq; ordines movent, neque id
quod maximum est, majorum sapientia: qui
sacra, qui ceremonias, qui auspicia & ipsi san-
ctissime coluerunt, & nobis suis posteris pro-
diderunt. Est profectò illa vis: neq; in his
corporibus, atq; in hac imbecillitate nostra
inest quiddam quod vigeat, & sentiat, & non
inest in hoc tanto naturæ tam præclaro mo-
tu. Nisi foret idcirco non putant, quia non ap-
paret, nec cernitur: perinde quasi nostram
ipsam mentem, qua sapimus, qua provide-
mus, qua hæc ipsa agimus, ac dicimus, vi-
dere, aut planè qualis, aut ubi sit, sentire pos-
simus.

Ea vis, ea est igitur, quæ sæpè incredibiles
huic urbi foelicitates atq; opes attulit, quæ
perniciem extinxit ac sustulit: cui primùm
mentem injecit, ut vi irritare, ferroq; laceffe-
re fortissimum virum auderet: vincereturque
ab eo, quem si vicisset, habiturus esset impuni-
tatem;

PRO MILONE.

tatem, & licentiam sempiternam. Non est humano consilio, nec mediocri quidem Iudices Deorum immortalium cura res illa perfecta: Religiones mehercule ipsæ, aræque cum illa beluam cadere viderunt, commovisse se videntur & jus in illo suum retinuisse. Vos enim Albani rumuli atq; Luci, vos inquam implo-ro atq; obtestor, vosq; Albanorum obruta aræ sacrorum populi Romani sociæ & æquales, quas ille præceps amentia, cæsis prostratisque sanctissimis lucis, substructionem infanis molibus oppresserat: vestræ tum aræ, vestræ religiones viguerunt, vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat. Tuq; ex tuo edito monte Latialis sancte Juppiter cujus ille lacus nemora finesq; sæpè omni nefario stupro & scelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti. Vobis illæ, vobis vestro in conspectu seræ, sed justæ tamen & debitæ pœnæ solutæ sunt. Nisi fortè hoc etiam casu factum esse dicimus, ut ante ipsum sacra-rium Bonæ deæ, quod est in fundo T. Sestij Galli, in primis honesti & ornati adolescentis, ante ipsam inquam Bonam deam, cum prælium commisisset, primùm illud vulnus acceperit, quo teterrimam mortem obiret: ut non absolutus judicio illo nefario videretur, sed ad hanc insignem pœnam reservatus.

Nec verò non eadem ira deorum hanc ejus

M. T. C I C E R. O.

fratellibus iniecit amentiam, ut sine imaginibus
 sine cattu, sine ludis, sine exequijs, sine lametis,
 sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore
 & luto, spoliatus illius supremi diei celebra-
 te, quam concedere etiam iniraici solent, am-
 bueretur etiam abjectus. Non fuisse credo fas,
 clarissimorum virorum formas illi teterrimo
 parricidae aliquid decoris adferre, nec ullo in
 loco potius mortem ejus lacerari, quam in
 quo vita esset damnata. Dura mihi mediis fi-
 dius jam fortuna populi Romani & crudelis
 videbatur, quae tot annos illum in hanc Rem-
 publicam insultare videret, & pateretur.
 Polluerat, stupro sanctissimas religiones:
 Senatus gravissima decreta perfregerat:
 pecunia se palam a Judicibus redemerat: ve-
 xerat in Tribunatu Senatum: omnium or-
 dinum consensu pro salute Reipubl. gesta re-
 sciderat: me patria expulerat, bona diri-
 puerat, domum incenderat, liberos, conju-
 gem meam vexaverat: Cn. Pompejo nefa-
 rium bellum indixerat: Magistratum pri-
 vatorumque caedes effecerat: domum mei
 fratris incenderat: vastarat Hetruriam:
 multos sedibus ac fortunis eiecerat: in-
 stabat, urgebat: capere ejus amentiam
 civitas, Italia, provincia, regna non pote-
 rant.

Incidebantur jam domi leges, quae nos
 nostris

P R O M I L O N E .

nostris servis addicerent. Nihil erat cuiusquam, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret. Obstabat ejus cogitationibus nemo, præter illum Milonem ipsum, qui poterat obstare. Cn. Pompejum novo reditu in gratiam quasi devinctum arbitrabatur. Cæsaris potentiam esse dicebat: bonorum animos etiam in meo casu contempserat, Milo unus urgebat. Hic dii immortales, ut supra dixi, mentem dederunt illi perdito ac furioso, ut huic faceret insidias: aliter perire pestis illa non potuit? nunquam illi Respublicæ suo jure esset ultra. Senatus credo Prætorē eum circumscripsisset. Ne cum solebat quidem id facere in privato eodem hoc, aliquid profecerat. An Consules in Prætorē coercendo fortes fuissent? primū Milonē occiso, habuisset suos Coss. deinde quis eo Prætorē Consul fortis esset, per quem Tribunum virum Consularem crudelissimè necatum esse meminisset? Omnia possideret, teneret, lege nova, quæ est inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis: servos nostros libertos suos fecisset. Postremò nisi eum dii immortales in eam mentē impulissent, ut homo effœminatus fortissimū virum conaretur occidere hodiè Rempubicam nullam haberetis: An ille Prætor, ille verò Consul (si modò hæc templa, atq; ipsa moenia stare eo vivo tamdiu,

D 4

& Con-

M. T. CICERO.

& Consulatum ejus expectare potuissent) ille denique unius mali nihil fecisset, qui mortuus uno ex suis satellitibus Sext. Clodio duce curiam incenderit? Quo quid miserius? quid acerbius? quid luctuosius vidimus? templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo Romano concessam uni ordini, inflammari, excindi, funestari? neque id fieri à multitudine imperita (quanquam esset miserum id ipsum) sed ab uno, qui cum tantum ausus sit ultrò pro mortuo, qui signifer pro vivo non esset ausus? In curiam potissimum abjecit, ut cum mortuus incenderet, quam vivus everterat. Et sunt, qui de via Appia quærantur, taceant de curia? Et quando ab eo spirante forum potuisset defendi, cujus non restiterit cadaveri curia? Excitate excita te eum, si potestis, à mortuis, frangetis impetum vivi, ejus vix sustinetis furias insepulti? nisi verò sustinueritis eos, qui cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum falcibus ad Castoris, cum gladijs toto foro volitarunt. Cædi vidistis populum Romanum, concionem gladij disturbari, cum audiretur silentio M. Cæcilius Tribun. pleb. vir fortissimus, & bonorum voluntati & auctoritati Senatus deditus, & in hac Milonis sine invidia, sive fortuna singulari, divina & incredibili fide.

Sed

PRO MILONE.

Sed jam satis multa de causa, extra causam
etiam nimis fortasse multa. Quid restat? nisi
ut orem, obtesterq; vos Judices, ut eam mise-
ricordiam tribuatis fortissimo viro, quam ip-
se non implorat: ego autem, repugnante hoc,
imploro & exposco. Nolite, si in vestro omniũ
fietu, nullam lachrymam aspexistis Milonis, si
vultum semper eundem, si vocem, si oratio-
nem stabilem, ac non mutatam videtis, hoc
minus ei parere. Atqui haud scio, an multo
etiam sit adjuvandus magis. Etenim si in gla-
diatorijs pugnis & infimi generis hominum
conditione atq; fortuna, timidos & supplices,
& ut vivere liceat obsecrantes etiam odisse
solemus: fortes & animosos, & se acriter ipsi
morti offerentes, servare cupimus: eorumq;
nos magis miseret, qui nostram misericordiã
non requirunt, quã qui illam efflagitant:
quantò hoc magis in fortissimis civibus face-
re debemus? Me quidem, Judices, exanimant
& interimunt hæ voces Milonis, quas audio
assiduè, & quibus intersum quotidie. Valeant,
inquit, valeant cives mei: sint incolumes, sint
florentes, sint beati, stet hæc urbs præclara,
mihiq; patria charissima, quoquo modo me-
rita de me erit: tranquilla Republica cives
mei, quoniam mihi cum illis non licet, sine me
ipsi, sed per me tamen, perfruantur: ego cedam
atq; abibo: si mihi Republica bona frui non
D 5 licue-



M. T. C I C E R.

licuerit, at carebo mala: & quam primùm tetigero benè moratam & liberam civitatem, in ea conquiescam. O frustrà, inquit, suscepti mei labores: O spes fallaces: O cogitationes inanes meæ. Ego cum Trib. pleb. Republica oppressa, me Senatui dedissem, quem extinctam acceperam: equitibus Romanis, quorum vires erant debiles: bonis viris, qui omnè auctoritatem Clodianis armis abjecerant: mihi unquam bonorum præsidium defuturum putarem? Ego cum te (mecum enim sapissimè loquitur) patriæ reddidissent, mihi non futurum in patria putarem locum? Ubi nunc Senatus est, quem secuti sumus? ubi equites Romani illi, illi, inquit, tui? ubi studia Municipiorum? ubi Italiae voces: ubi denique tua, Maree Tulli, quæ plurimis fuit auxilio, vox & defensio? mihi ne ea soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest opitulari? Nec verò hæc iudices, ut ego nunc, flens, sed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis. Negat enim, negat ingratis civibus fecisse, quæ fecisset timidis, & omnia circumspicientibus pericula, non negat.

Plebem & infimam multitudinem, quæ Publ. Clodio duce fortunæ vestris imminabat, eam, quò tutior esset vita vestra, se fecisse commemorat, ut non modò virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimonijs deli-

PRO MILONE.

deliniret. Nec timet, ne cum plebem mul-
teribus placarit, vos non conciliarit me-
ritis in Rempublicam singularibus. Sena-
tus ergo se benevolentiam temporibus his
ipsis saepe perspectam: vestras vero, &
vestrorum ordinum occurrations, studia,
sermones, quemcunque casum fortuna de-
derit, secum ablaturum esse dicit. Memi-
nit etiam sibi vocem praconis modo defuis-
se, quam minimè desiderat: populi verò
eunctis suffragijs, quod unum cupierit, se
Consulem declaratu: nunc denique si hæc
arma contra se sint futura, sibi facinoris
suspicionem, non facti crimen obstare. Ad-
dit hæc, quæ certè vera sunt, fortes & sapi-
entes viros non tam præmia sequi solere re-
ctè factorum, quàm ipsa rectè facta. Se ni-
hil in vita nisi præclarissimè fecisse, siquidem
nihil sit præstabilibus viro, quàm periculis pa-
triam liberare: beatos esse, quibus ea res ho-
nori fuerit à suis civibus: nec tamen eos mi-
seros, qui beneficio cives suos vicerint. Sed ta-
men ex omnibus præmijs virtutis, si esset ha-
benda ratio præmiorum, amplissimum esse
præmium gloriam: esse hanc unam, quæ bre-
vitatem vitæ, posteritatis memoria. consola-
retur: quæ efficeret, ut absentes adessemus,
mortui viveremus. Hanc deniq; esse cujus gra-
dibus etiam homines in coelum videantur
ascen-

M. T. CICERO.

ascendere. De me, inquit, semper populus Rom.
semper omnes gentes loquentur: nulla un-
quam obmutescet vetustas. Quin hoc tempo-
re ipso, cum omnes à suis inimicis faces invi-
diæ meæ subijciantur, tamen omni in homi-
num cœtu gratijs agendis & gratulationibus
habendis & omni sermone celebramur. O-
mitto Hetruriæ festos & actos institutos dies.
Centesima lux est hæc ab interitu Pub. Clodij,
& ut potior, altera: qua fines imperij populi
Romani non solum fama jam de illo, sed etiã
lætitia peragravit. Quamobrem ubi corpus
hoc sit, non, inquit, laboro: quoniam omni-
bus in terris & jam versatur, & semper habita-
bit nominis mei gloria. Hæc tu mecum sæpe
his absentibus: sed iisdem audientibus hæc e-
go tecum Milo. Te quidem quòd isto animo
es satis laudare non possum: sed quò est illa
magis divina virtus, eò majore à te dolore di-
vellor. Nec verò si mihi eriperis, reliqua est illa
tamen ad consolandum querela, ut his irasci
possim, à quibus tantum vulnus accepero.
Non enim inimici mei te mihi eripient, sed a-
micissimi: non malè aliquando de me meriti:
sed optimè. Nullum unquam Judices tantum
dolorem inuretis: etsi quis potest esse tantus?
sed ne hunc quidem ipsum: ut obliviscar,
quanti me semper feceritis: quæ si vos cœpit
oblivio, aut si in me aliquid offendistis, cur

NON

P R O M I L O N E .

Non id meo capite potius luitur, quàm Milonis?

Præclare enim vixero, si quid mihi acciderit, priusquam hoc tantum mali videro. Nunc me una consolatio sustentat, quòd tibi ô Tit. Anni, nullum à me amoris, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetivi: ego meum sæpè corpus & vitam objeci armis inimicorum tuorum: ego me plurimis pro te supplicem abjeci, bona, fortunas meas, ac liberorum meorum in communionem tuorum corporum contuli. Hoc deniq; ipso die, si qua vis est parata, si qua dimicatio capitis futura, depono. Quod jam restat quid habeo? quid dicam? quid faciam pro tuis in me meritis? nisi ut eam fortunam, quæcunque erit tua, ducam meam? Non recuso, non abnuo: vosq; obsecro iudices, ut vestra beneficia, quæ in me contulistis, aut in hujus salute augeatis, aut in ejusdem exitio occasura esse jubeatis. His lachrymis non movetur Milo: est quodam incredibili robore animi septus: exilium ibi esse putat, ubi virtuti non sit locus: mortem, naturæ finem esse, non pœnam. Sit hic ea mente, qua natus. Quid vos Iudices? quo tandem animo eritis? memoriam Milonis retinebitis, ipsum ejicietis? & erit dignior locus in terris ullus, qui hanc virtutem excipiat, quàm hic, qui procreavit? Vos vos appello
fortisa

M. T. C I C E R.

fortissimi viri, qui multum pro Republica sanguinem effudistis, vos in viri & in civis invicti appello periculo Centuriones, vosq; milites: vobis non modò inspectantibus, sed etiam armatis, & huic iudicio præsentibus, hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? eijcietur?

O me miserum, ô me infelicem: Revocare tu me in patriam Milo potuisti per hos, ego te in patria per eosdem retinere non poterò? Quid respondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi Qu. frater, qui nunc abes, consorti mecum temporum illorum? me non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem, per quos nostram ille servasset? at in qua causa non potuisse? quæ est grata gentibus, à quibus non potuisse? ab his qui maximè P. Clodij morte acquieverunt. Quo deprecante? me. Quod nam concepti tantum scelus? aut quod in me tantum facinus admisi Iudices? cùm illa iudicia communis exilij indagavi, patefeci, protuli, extinxi: omnes in me meosque redundant ex illo fonte dolores. Quid me reducem esse voluistis? an ut inspectante me expellerentur ij, per quos essem restitutus? Nolite, obsecro vos, pati, mihi acerbio rem reditum esse, quàm fuerit ille ipse discessus. Nam qui possunt putare me restitutum esse, si distrahor ab ijs, per quos resti-

tutus

PRO MILONE.

tutus sum. Utinam dii immortales fecissent
(pace tua patria dixerim: metuo enim ne sce-
leratè dicam in te, quod pro Milone dicam
piè) ut Publ. Clodius non modò viveret, sed e-
tiam Prætor, Consul, Dictator esset, antequam
hoc spectaculum viderem. O dii immortales,
fortem, & à vobis, iudices, conservandum vi-
rum. Minimè, minimè, inquit, imò verò pœ-
nas debitas luerit: nos subeamus, si ita necesse
est, non debitas. Hiccine vir patriæ natus us-
quam nisi in patria morietur? aut si fortè pro
patria hujus vos animi monumenta retinebi-
tis, corporis in Italia nullum sepulchrum esse
patièmini? Hunc sua quisquam sententia ex
hac urbe expellet, quem omnes urbes expul-
sum à vobis ad se vocabunt? O terram illam
beatam, quæ hunc virum exceperit: hanc in-
gratam si ejecerit: miseram, si amiserit.


Sed finis sit: neq; enim præ lachrymis loquì
possum, & hic se lachrymis defendi vetat. Vos
oro obtestorq; iudices, ut in sententijs feren-
dis, quod sentietis, id audeatis. Vestram virtu-
tem, justitiam, fidem, (mihi credite) is maximò
probabit, qui in iudicibus legendis opti-
mum & sapientissimum quen-
que legit.

F I N I S.

Q. ASCO.

Q. ASCONII
PÆDIANI IN EANDEM
ARGUMENTUM.

Hanc dixit Cn. Pompejo III. Cofs. ad VI. Idus April. Quod iudicium cum ageretur, exercitum in foro, & omnibus in templis, quæ circum forum sunt, collocatum à Cn. Pompejo fuisse non tantum ex hac oratione, & Annalibus, sed etiam ex libro apparet, qui Cicero- nis nomine inscribitur, De optimo ge- nere oratorum.

 **ANNIUS** Milo, & Pub. Plantius Hipseus & Qu. Metellus Scipio Consu- latum petierant, non solum largitione palam profusa, sed etiam factionibus armorum succincti Miloni & Clodio summe erant inimicitie, quod & Milo Ciceronis erat amicissimus, introducendo, eo enixe operam Reipub. dederat: & Pub. Clodius restituto Ciceroni erat in- festissimus, ideoque summe studebat Hipseo & Scipioni contra Milonem, ac sæpè inter se Milo & Clodius cum suis factionibus Romæ depugnaverant, & erat uterq; audacia par, sed Milo pro melioribus partibus stabat. Præterea in eundem annum Consulatam Milo, Clo- dius Præturam petebat: quam debilem futuram
Coff.

ASCONII PEDIANI.

Coss. Milone intelligebat. Deinde cum diu tracta
essent comitia Consularia, perireq; ob eas ipsas perdi-
tas Candidatorum contentiones non possent, & ob id
inense Ianuario nulli, dum neq; Consules, neq; Consu-
les, neq; Praetores essent: trahereturq; dies eodem,
quo antea, modo, dum Milo quam primum comitia
conspici vellet, conficeretq; cum bonorum studijs, quod
obstibat Clodio, tum etiam populo propter effusas
largitiones, impensas quoque ludorum Scenicorum
ac gladiatorij muneris maximas, in quas tria patri-
monia effudisse eum Cicero significat. Competitores
ejus trahere vellent, ideoque Pompejus gener Scipio-
nis, & Lucius Namatius Trib. pleb. referri ad Sena-
tum de patricijs convocandis, qui inter regem prode-
rent, non essent passi, cum inter regem prodere moris
esset ad III. Calend. Februar. (acta etenim magis se-
quenda, & ipsam orationem, quae actis congruit, puto,
quam Fenestellam, qui ad IV. Calend. Februar. tra-
dit) Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, & ibi
tum Dictator, profectus est ad Flaminem prodendum.
Postera die occurrit circa horam nonam Clodius, paulo
ultra Bovillas, rediens ab Aricia, prope eum locum, in
quo Bone Deae sacellum est. Erat autem allocutus
Decuriones Aricinorum. Vehabatur Clodius equo:
servi 30. fere expediti (ut illo tempore mos erat iter
facientibus) gladijs cincti sequebantur: erant cum
Clodio praeterea tres comites ejus, ex quibus Eques Ro-
manus unus Cajus Cassinius Schola: duo de plebe no-
vi homines. Milo rheda vehabatur cum uxore Fau-

A R G U M E N T U M.

St. filia L. Syllæ Dictatoris, & M. Fusio familibri suo. Sequebatur eos magnum servorum agmen, inter quos gladiatores quoque erant: ex quibus duo noti, Eudamus & Biria: hi in ultimo agmine tardius euntes, cum servis Pu. Clodij rixam commiserunt, ad quem tumultum cum respexisset Clodius minitabundus, humerum ejus Biria rhomphaa trajecit: inde cum orta esset pugna, plures Miloniani adcurrerunt: Clodius vulneratus in tabernam proximam Bovillano delatus est. Milo ut cognovit vulneratum Clodium, cum sibi periculosius illud etiam vivo eo futurum intelligeret, occiso autem magnum solatium esset habiturus, etiamsi subeunda esset poena, exturbare tabernam iussit. Fuit antesignanus servorum ejus M. Sappheus: atque ita Clodius latens extractus est, multisque vulneribus confectus, cadaver ejus in via relictum (quia servi Clodij aut occisi erant, aut graviter saucij latebant.) Sext. Tedijs Senator, qui forte ex rure in urbem revertebatur, sustulit, & lectica sua Romanam ferri iussit: ipse rursus eodem, unde jam venerat, recepit sese. Perlatum est corpus Clodij ante primam noctis horam: infimaque plebis, & servorum maxima multitudo, magno luctu corpus in atrio domus positum circumstitit. Augebat autem facti invidiam uxor Clodij Fulvia, quæ cum fusa lamentatione vulnera ejus ostendebat: major postero die, luce prima, multitudo ejusdem generis confluit, compluresque noti homines elisi sunt, inter quos C. Vibienius Senator erat. Domum Clodij, ante paucos menses

ses

A S C O N I I P A E D I A N I.

ses empram de M. Scauro in Palatio: eodem Num-
 matius Plancus frater L. Planci oratoris, & Qu.
 Pompejus Russus, Syllæ Dictatoris ex filia nepos
 Tribu. pleb. accurrerunt: eisq; obstantibus, vulgus
 imperitam corpus nudum & aldatum, sicut in lecto e-
 rat positum, ut vulnera videri possent, in forum de-
 tulit, & in Rostris posuit. Ibi pro concione Plan-
 cus & Pompejus, qui competitoribus Milonis stude-
 bant, invidiam Miloni fecerunt. Populus, duce Sext.
 Clodio scriba corpus Pu. Clodij in Curiam intulit,
 cremavitq; subsidijs, & tribunalibus, & mensis, &
 codicibus librariorum: quo igne & ipsa quoque Cu-
 ria flagravit. & item Porcia Basilica, que erat ei
 juncta, ambusta est. Domum quoque M. Lepidi In-
 terregis (is enim Magistratus Curulis erat crea-
 tus) & absentis Milonis eadem illa Clodiana multi-
 tudo oppugnavit. Deinde sagittis repulsa est, tum
 Fasces ex lecto Libitine aratos attulit ad domum Sci-
 pionis, & Hipsei, deinde ad hortos Cn. Pompeij, cla-
 mitans eum, modò Coss. modò Dictatorem. In-
 tendiam Curie majorem aliquanto indignationem
 civitatis moverat quam interfectio Clodij. Itaq; Mi-
 lo, quem opinio fuerat ivisse in voluntariū exilium: in-
 vidia adversariorū recreatus, nocte ea redierat Romā,
 qua intensa erat Curia: petebatq; nihilo deterius con-
 sulatum, aperte quoq; tributum in singulos mille as-
 sium dederat cœnationem, & post aliquot dies dedit
 M. Cælius Tribu. pleb. Accitus ipse etiam causam, et-
 jam ad populum dicebat uterq; Miloni à Clodio factas

A R G U M E N T U M

esse insidias. Timebant interea alij ex alijs Interreges, quia Comitia Consularia propter eorum candidatorum tumultus, & easdem manus armatas haberi non poterant. Itaque primo factum erat S. C. ut interrex, & Trib. pleb. & Cn. Pompejus, qui procos. ad urbem erat, viderent, ne quid detrimenti Respub. caperet: delectus autem Pompejus tota Italia haberet. Qui cum summa celeritate presidium comparasset, postulaverunt apud eum familiam Milonis, Faustaeque uxoris ejus exhibendam duo adolescentuli, qui Appij Clodij ambo appellabantur, qui erant Cn. Clodij filij, qui frater fuerat Clodij, & ob id illi patris sui mortem velut auctore fratre persequabantur. Easdem Faustae & Milonis familias postulaverunt duo Valerij nepotes, & Leo: & L. Herennius Baldus Pub. Clodij quoque familiam & comitum ejus postulavit: eodem tempore Cecilius familiam Hipsei & Q. Pompeij postulavit. Adfuerunt Miloni Qu. Hortensius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Callidius, M. Cato, Faustus Sylla, verba pauca Q. Hortensius dixit: Liberos esse eos, qui pro servis postularentur: nam post recentem caedem manumiserat eos Milo sub hoc titulo, quod caput suum ultimi essent. Hac agebantur Mense intercalari post diem trigesimum fere, quam erat Clodius occisus. Qu. Metellus Scipio in Senatu contra M. Caepionem conquestus est hac de caede Pub. Clodij falsum esse dixit, quod Milo se sic defenderet, & Clodium vicinos Decuriones alloquendi gratia abijisse, profectum cum sex ac viginti servis: Milonem subito post horam quartam

A S C O N I I P A E D I A N I.

tam Senatu dimisso, cum servis amplius triginta armatis obviam ei contendisse, & supra Bovillas inopinantem itinere aggressum: ibi Publ. Clodium tribus vulneribus acceptis Bovillas perlatum tabernam, in quam profugerat, expugnatam a Milone, semianimum Clodium extractum in via Appia occisum esse, annulumq; ejus ei morienti extractum. Deinde Milonem, cum sciret in Albano parvulum filium Clodij, venisse ad villam, & cum puer ante substractus esset, ex servo Halicone questionem ita habuissent, eum articulatum confitentem: villicum, & præterea duos servos jugulasse ex servis Clodij, qui dominum defenderint, undecim esse interfectos: Miloni duos solos saucios factos esse: ob que Milonem postero die duodecim servos, qui maxime operam navassent, manumisisse populiq; tributim singula millia æris ad defendendos de se rumores dedisse. Milo misisse ad Cn. Pompejum dicebatur, quod Hipseo summe studebat quod fuerat ejus Questor, desistere se petitione Consulatus, si ita ei videretur. Pompejum respondisse: nemini se, neque petendi, nec desistendi auctorem esse, neque P. R. potestatem, aut consilium, aut sententiam interpellaturum. Deinde C. Lucilium, qui propter M. C. familiaritatem amicus erat Milo, egisse quoque dicebatur, ne se de hac re consulendo, invidia oneraret. Inter hac cum crebresceret rumor, Cn. Pompejum creari Dictatorem, neque opportunè aliter mala civitatis sedari posse, visum est optimatibus tutius esse, eum Consulem sine Collega creari.

A R G U M E N T U M.

Et cum tractata ea res esset in Senatu, facto in M. Bibuli sententiam S. C. Pompejus ab Interrege Servio Sulpitio V. Calend. Mart. mense Intercalario Cos. creatus est, statimq; Consulatum inijt. Deinde post diem tertium de legibus novis ferendis retulit: duas ex S. C. promulgavit: Alteram de vi, qua nominatim cedens in Appia via factam, & incendium Curie, & domum M. Lepidi Interregis oppugnatam comprehendit: Alteram de ambitu, qua poenam graviolem & formam judiciorum breviorē. Vtraq; enim lex prius testes dare, deinde uno die atque eodem, & ab accusatore, & ab reo perorari videbit, ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur. His legibus obsistere M. Cæli Tribu. pleb. studiosissimus Milonis conatus est, qui & Privilegium diceret in Milonem ferri, & iudicia precipitari: & cum pertinacius legem Cælius vituperaret, eo processit ira Pompejus, ut diceret, si coactus esset armis se R. P. defensurum. Timebat autem Pompejus Milonem, seu timere se simulabat, plerunq; enim non domi sue, sed in hortis manebat, idq; ipsi in superioribus, circa quos etiam manus militum excubabat. Senatum quoq; semel repetiturus erat Pompejus, quod diceret timere se adventum Milonis. Dein proximo Senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur alligatum dixerat: postulerat, ut femur videret: & ille sine mora tunicam levarat. Tum M. Cicero exclamaverat omnia illi similia crimina esse, quæ in Milonem dicerentur. Alia die Numatius Plancus Trib. Pleb. produ-

A S C O N I P E D I A M T.

produxerat in concionem M. Aemilium Philonem notum hominem, libertum M. Lepidi, qui se dicebat, pariterq; secum quatuor liberos homines iter facientes insuper venisse, cum Clodius occideretur: & ob id cum proclamassent, abreptos, & perductos per duos menses in villam Milonis & praeclusos fuisse, eaq; res, seu vera, seu falsa, magnam invidiam Miloni contraxerat. Itidemq; Numatius, & Pompeius Trib. pleb. in Rostra produxerant Triumvirum Capitalem, eumq; interrogaverant: An Cascam Milonis servum caedes facientem deprehendisset. Ille dormientem in taberna pro fugitivo deprehensum, & ad se perductum esse responderat: denunciaverant tantum Triumviro, ne servum remitteret: sed postera die Calius Tribu. pleb. & Manilius Camanus collega ejus ereptum e domo Triumviri servum Miloni reddiderunt. Haec, etsi nullam de his criminibus mentionem fecit Cicero, tamen quia ita compereram, putavi exponenda. Inter primos & Qu. Pompeius, & C. Salustius, T. Numacius Plancus Trib. pleb. inimicissimas conciones de Milone habebant: invidiam etiam de Cicerone, quod Milonem tanto studio defenderet: atq; maxima pars multitudinis populi infensa, non solum Miloni, sed etiam Ciceroni propter invisum patrocinium. Postea Pompeius & Salustius in suspitione fuerunt, in gratiam redisse cum Milone ac Cicerone. Plancus autem infestissime perstitit, atque in Ciceronem quoq;

ARGUMENTUM

multitudinem instigavit. Pompejo autem sus-
 pectum faciebat Milonem, ad perniciem eius compar-
 tum eum vociferatus. Pompejusq; ob ea saepius que-
 rebatur fieri sibi quaeque insidias, & ideo palam ac
 majore manu se armabat. Dicturum quoque idem
 Cicero Plancus ostendebat. Postea autem Q.
 Pompejus idem meditatus erat. Tanta tamen con-
 stantia ac fides fuit Cicero, ut non populi à se ali-
 natione, non Cn. Pompeij suspicionibus, non periculo
 futuro, ei si dies ad populum diceretur, non armis,
 quae palam in Milonem sumpta erant, deterreri potue-
 rit à defensione ejus, cum posset omne periculum suum
 & offensivam inimicæ multitudinis declinare, redi-
 mere etiam Cn. Pompeij animum, si paulum ex studio
 defensionis remisisset. Perlati deinde lege Pompeij,
 in qua id quoque scriptum erat: ut questus suffragio
 populi ex ijs, qui Consules fuerunt, crearetur statim
 comitia habuit, creatusq; erat C. Domitius Aenobar.
 Questor. Aliorum quoque iudicium, qui ea de re
 judicarent, Pompejus tales proposuit, ut nunquam
 neq; clariores viros, neq; sanctiores propositos esse con-
 staret. Post quod statim nova lege Milo postulatus à
 duobus Appijs Clodijs adolescentibus iisdem, à quibus
 antea familia ejus fuerat postulata. Itaq; de ambi-
 tu ab iisdem Appijs, & præterea C. Cetero & L. Cor-
 nificio de sodalitijs, & à P. Fulveo Nerato. Postula-
 tus autem erat, & de sodalitijs, & de ambitu. Ea spe
 primum iudicium de vi futurum apparebat, quod
 eum damnaturum iri confidebant, nec postea respon-
 surum.

A S C O N I I P A E D I A N I .

furum. Divinatio de ambitu accusatorum facta est
 Quaestore A. Torquato: atq; ambo Quaestores, Tor-
 quatus & Domitius pridie Non. April. reum adesse
 iusserunt, quo die Milo ad Domitij tribunal venit, ad
 Torquati amicos misit: ibi postulante pro eo Marco
 Marcello obtinuit, ne prius causam de ambitu dice-
 ret, quam de vi iudicium esset perfectum. Apud Do-
 mitium iurem Quaestorem major Appius postulavit
 a Milone servos exhiberi numero III. L. & cum ille
 negaret eos, qui nominabantur in sua potestate esse,
 Domitius ex sententia Iudicum pronunciavit, ut ex
 servorum eorum numero accusator quot vellet, ederet.
 Citati deinde testes, secundum legem, quæ (ut supra
 diximus) jubebat, ut priusquam causa ageretur, te-
 stes per triduum audirentur, dicta eorum Iudices
 confirmarent: quarta die adesse omnes in diem po-
 sterum jubentur, ac coram accusatore, ac reo, Pila, in
 quibus nomina Iudicum inscripta essent, equaren-
 tur. Dein rursus postera die sortitio Iudicum fiebat
 unius & 80. qui numerus cum sorte contigisset, ipsi
 protinus seffum irent. Tunc ad dicendum accusa-
 tor duas horas, reus tres haberet, reusq; eodem die
 illo iudicaretur. Prius autem quam sententia fer-
 rentur, qui non ex singulis ordinibus accusator toti-
 dem reus eijceret, ita ut numerus Iudicum relinque-
 retur, qui sententias ferrent, quinquagesimus & u-
 nus. Primo die datus erat in Milonem testis Casti-
 nius Schola, qui se cum P. Clodio fuisse, cum is occi-
 sus esset, dixit: atrocitatemq; rei factæ, quam is ma-

A R G U M E N T U M

ximè potuit, auxit : quem cum interrogare M. Mar-
 cellus cœpisset, tanto tumultu Clodiane multitudinis
 circumstantis exterritus est, ut vim ultimam timens
 in tribunal à Domitio reciperetur. Quam ob causam
 M. Marcell. & ipse Milo à Domitio præsidium imple-
 verunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompejus ad ærarium
 perturbatusq; erat eodem illo clamore, itaq; Domitio
 promisit, se postero die cum præsidio descensurum, idq;
 fecit. Quare territi Clodiani, silentio verba testium
 per biduum audiri passi sunt. Interrogaverunt eos M.
 Cicero, M. Marcellus, & Milo ipse. Multi ex ijs, qui Bo-
 villis habitabant, testimonium dixerunt de ijs, quæ ibi
 facta erant: Cauponem occisum, tabernam expugna-
 tam, corpus Clodij in publicum extractum esse. Vir-
 gines quoq; aliæ dixerunt, mulierem ignotam venisse
 ad se, quæ Milonis mandato votum solveret, quod Clo-
 dius occisus esset. Vltimè testimonium dixerunt, Sem-
 pronia Tuditani filia, socrus P. Clodij, & uxor Fulvia,
 & fletu suo magnoperè eos, qui adstabant, commove-
 runt. Dimisso circa horam decimam iudicio, T. Nu-
 macius pro concione populum adhortatus est, ut poste-
 ro die frequens adesset, & elabi Milonem non patere-
 tur, iudiciumq; & dolorem suum ostenderet. Euntibus
 ad tabellam ferendam postero die iudicibus, qui fuit
 ad III. Idus April. clausæ fuerunt tota urbe tabernæ,
 præsidia in foro, & circa omnes fori aditus Pompejus
 disposuit: ipse pro Aerario, ut pridie, consedit septus
 delecta manu militum. Sortitio deinde iudicium à
 primo die facta est: post tantum silentium toto foro
 fuit.

A S C O N I I P A E D I A N I .

fuit, quantum esse in aliquo foro posset : tūm intra horam secundam accusatores cœperunt dicere, Appius major, & M. Antonius, & P. Valerius Nepos, usi sunt ex lege horis duabus. Respondit his unus M. Cicero : & cum quibusnam placuisset ita defendi crimen, interfici Clodium pro Republica profuisse : quam formam M. Brutus secutus est in ea oratione, quam pro Milone composuit : & edidit quamvis non egisset : Ciceroni id non placuit, quod qui bono publico damnatus posset. Itaq; cum insidias Milonem Clodio fecisse potuissent accusatores, quia falsum id erat, nam forte illa rixa commissa fuerat, Cicero apprehendit, & contra Clodium Miloni fecisse insidias disputavit, eoq; tota oratio ejus spectavit : sed ita constitit (ut diximus) neutrius consilio pugnatum esse eo die, verum eos forte occurrisse, & ea rixa servorum ad eam cædem perventū. Notum tamen erat, utrumq; mortem alteri sæpè minatum esse, & sicut suspectum Milonem major quam Clodij familia faciebat : ita expeditior & paratior ad pugnam Clodianorum quam Milonis fuerat. Cicero cùm inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum, qui se continere ne metu quidem circumstantium militum potuerunt. Itaq; non ea, qua solitus erat, constantia dixit. Manet autem illa quoq; excerpta ejus oratio. Scripsit verò hanc quam legimus, ita perfectè, ut jure prima haberi possit.

F I N I S .



LIPSIÆ,




Excudebat Valentin Am Ende.

A N N O


M, D C, X I,

an









AT 1112 1113 1114 1115



154522

X 2749089

VD 17

AN NINE THIR

Faint, mostly illegible text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule, arranged in approximately 15 horizontal lines. Some characters are written in red ink (rubrication).

A red curved mark or flourish on the left side of the page.

Fragmented text and paper on the right edge, including a small rectangular piece of paper with red markings and a larger, torn piece of paper at the bottom.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

LLII

ONIS
ANNIO

ORA-

*rem edita, mul-
mendis sub-*



OF

tin Am Ende

5